





2
6
253









ch. XXXII

Philippi Epi. Corton:

Aretina

Ill.mus D.nus meus D. Thomas Salviatus Ep.us
Aretinus sancte obdormivit in Domino die 15.
Octobris 1671. etatis sue 71. Episcopatus 34. —

Si sententia lata in Causa Mei Salviati interdictis non
continentem mixturam, sed tantum iudicium
merum possessorium, non admittatur appellatio
nisi ad effectum devolutivum, maxime cum
dependeat ab instrumento seu alia scriptura ha:
benti executionem paratam, et sic apparet in
Constitutionibus Curie Episcopalis Aretine a 15
in Cap. 7. de Appellatione, quare nihil mirum
si practicatur ita in Ep.ali Cortonensi Curia

Nam Communitas Cortone, et vice comes eius Sindici et Pro=
curatores promiserunt D. Guglielmo Ep.o Aretino usque de
Anno 1279. die 10. Ianuarii ex rogitu S. Homidei de
Castilione custodire et observare omnia Statuta et Consue=
tudines Ecclesie Aretine &c.

CONSTITVTIONES, ET DECRETA

PVBLICATA IN SYNODO Diœcesana Arretina, quam PETRVS Vsimbardius Episcopus Arretij habuit.

ANNO DOMINI
CIↃ. IↃ. XCVII.

SANCTVS



DONATVS.

FLORENTIAE,
In Officina Michaelangeli Sermartellij.
MDXCVIII.



Imprimantur Florentię accedente consensu Reuerendi Patris Inquisitoris, die 16. Ianuarij 1597.

Antonius Beniuenius Vicar. Gener. Flor.

Fr. Antonius de Massa ord. min. con. Regens S. Crucis Florentię, & Vic. Inquisitionis facultatem imprimendi largitur de mandato supradictas Constitutiones Arretinas. Dat. Florentię, die 16. Ianuarij 1598.

Iac. Danius.





PETRVS VSIMBARDIVS DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARRETII EPISCOPVS

Vniuerſo eiuſdem Ciuitatis, & Diœceſis Clero in Domino Salutem.





A eſt vitæ humanæ conditio, vt, niſi inſtitutis, ac legibus, quaſi quibuſdam vinculis, ac carceribus coercetur, & conſtringitur, paulatim vel temporum iniuria, vel hominum culpa facilè in deterius labatur, & diffluat. Id ipſum enim rebus humanis vſu venit, quod agro non benè culto quotidie contingit; qui ſpinis, & ſentibus ſylueſcens, quicquid in ſe optimarum virium eſt, ſenſim amittit, & nulla adhibita agricolæ diligentia ſuam quodam modo naturam obliuiſcitur. Satis eſt exploratum, rem eandem legibus euenire; dum enim vel hominum ſocordia, vel perſonis, vel locis, vel temporibus minimè accõmodatæ obſoleſcunt, ſæpenumero accidit, quo vim ſuam poſsint retinere, vt multa hominum cura, aut in priſtinam amplitudinem reſtituenda, aut nouis ſanctionibus abroganda ſint. Hæc res vna vel maximè ſanctiſsimos illos veteres patres iam inde à primis pœnè naſcentis Religionis temporibus impulit, vt toties non ſolùm noua Concilia indicerent, nouasq; ſanctiones conderent, ſed quæ non ſine ma-

gno totius Reipub. malo dimissa essent, rursus repetenda esse statuerent sanctissimis legibus vincirent, & suum in vsum, & pristinam in consuetudinem reuocarent. Idcirco Nos, qui in hac Episcopali quasi quadam specula, ac vigilia collocati sumus, illud præcipuè, ac sedulo attendimus, vt, quæ leges non minus sanctè, quàm sapienter à nostris maioribus (vt tum eorum tempus ferebat) conditæ sunt, quæq; diu Arretinæ Ecclesiæ magno vsui fuerunt, posthac, quoad eius fieri potest, ab omnibus salutariter seruentur, optimum factu esse duximus, nonnulla renouare, plura tamen ad Apostolicarum Constitutionum, & Concilij Tridentini præscriptum conformare. Quæ profectò propterea quia ad duo potissimum capita referri perspicuum est, quibus Parochorum munus perfectè, atque absolutè continetur; quorum alterum est, vt ipsi probitatem vitæ sanctissimè præstent; alterum, vt creditum sibi populum doctrina, & fidei Christianæ institutione, & salutaribus Sacramentis ad cœlestem beatitudinem erudiãt, ac dirigant, hoc nomine huic instituto maximè consentaneum visum est, vtrumq; caput non ieiunè quidem, sed strictim tamen attingere, cùm præcipuè eius momenti, ac ponderis sint, vt planè sine ipsis fidelis populi salus vix, ac ne vix quidem constare posse videatur. Etenim, vt hic inferior mundus cùm cœli motu, tum lumine gubernatur, ita gentes Christianæ tamquã quibusdã cœlestibus pastoribus reguntur; qui cùm boni sunt, & disciplinarũ lumine alios docent, & motum sanctissimarum actionum præcipuè exercent. Exemplo enim in primis cæteros præire decet, qui Sal terræ, & Lux mundi ore Dominico appellantur; &, vt alios benè erudiant, ardentes lucernas gestare, & quò vita sanctissimè agatur, præcincti esse iubentur; ne candelis similes reperiantur, quæ, dum lumen aliis præstant, se ipsas non magno tempore absumunt. Hisce igitur nostris decretis cùm ea, quæ ad Pastorum vitam, moresq; instituendos pertinent, tum ea, quibus fidelis populus salutis causa iuuandus est, sumus præcipuè complexi. Neq; enim qui Parochiarum curæ præpositi sunt, alio pacto sui nominis ius tueri possunt, nisi (vt olim sunt Parochi appellati, qui ho

spitibus

ſpitibus ligna, ſalemq́; præbere, & eſſe cœnæ, & nuptiarum curatores ſoliti ſunt) vitæ probitate, ſanctiſsimiſq́; moribus, tamquam lignis quibuſdam perpetuò ignem charitatis in huius orbis hoſpitum, & peregrinorum animis accendant, & foueant; eoſdemq́; doctrina, & Sacramentorum adminiſtratione, quaſi diuino quodam ſale condiant, & conſeruent. Quo nomine dilectiſſimi (nec vos tantummodo appello, qui rerum ſacrarum curam ſuſtinetis, ſed vos quoque, qui hanc vrbem incolitis, ſummoſq́; etiam magiſtratus, qui eidem vrbi præſidetis, cunctoſq́; præterea viros cuiuſuis ordinis, qui magno concurſu, ſummaq́; voluntate, ſacris ſupplicationibus publicè de more præeuntibus præſentia veſtra hanc noſtram Synodum cohoneſtare voluiſtis) has noſtras Sanctiones, Conſtitutioneſq́; æquis animis ſuſcipite, recens illas quidem editas ſed ad veterum ſanè decretorum normam conformatas, quæ nunc ad cõmunem vtilitatem, Eccleſiarumq́; veſtrarum regimen promulgantur. Quarum editionem ad hanc vſq; diem idcirco produximus, quod primis quidem annis in graui quadam nonnullorum negotiorum procuratione diſtrictos publicæ rei vtilitas ab hac paſtorali vigilia abeſſe magnam temporis partem poſtulauit; quamquam nobis (vt non obſcuris rationibus perſpicere potuiſtis) dies, noctesq́; de ſalute ouium ſollicitis nihil fuerit antiquius, quàm vt adeſſemus, illis præcipuè temporibus, quibus oues maximè refici, & lætari in Domino paſtoris præſentia debent, &, quoad eius fieri poſſet, ne noſtro diſceſſu noſtra hæc paſtoralis cura detrimenti aliquid acciperet. Cui rei illud vel maximo indicio huius noſtræ propenſionis eſſe poteſt, quòd, exædificato Epiſcopali palatio, ſimul atque per publicas occupationes licuit, totius, vt dicitur, faciem noſtri pecoris agnouimus, & omnes noſtræ Epiſcopalis ditionis partes propius obiuimus, vt deinde, quod nobis ſemper fuit in optatis has Conſtitutiones ederemus, non inutiles, niſi fallimur, & Dominico gregi accommodatas. Quæ ſi minus rem ipſam explicabunt, noſtris ſaltem ſucceſſoribus, vt meliora addere poſsint, nonnihil facultatis poterunt ſuppeditare. Id ipſum autem, ſi, vt optamus, ſumus aſſecuti,

enti, est sanè, quod gaudeamus; sin minus, illa cogitatio tamen consolabitur, quod nostra hæc animi propensio id præstitit; quod & ratio quærebat, & animarum vtilitas flagitare videbatur: cùm constet omnino nobis, nihil esse in hoc genere præstantius, nec Ecclesiæ Dei salutarius. Reliquum est, vt qua hæc à nobis animi voluntate profecta esse intelligetis (qui in re præsenti affuistis, vestroq; consensu, & plena manu, vt dicitur, rem totam comprobastis) eadem à vobis accipienda esse iudicetis. Et quia inanes leges existimantur, quando, vt æquum est, non exercentur, &, qui illis pareat, non reperitur; res ipsa, vt videtis, inuitat sua sponte, vt non solum his nostris decretis obtemperetis, sed vt vestra virtute ceteros omnes ad vestræ integritatis exemplum excitetis. Ita enim vsu veniet, vt per viam salutis incedentes tandem aliquando digni simus, qui beatorum numero adscripti vnà cum Deo, totius nostræ salutis auctore, cœlestibus diuitiis perpetuò fruamur. Valete. Arretij. Calendis Martij.

CIↃ. IↃ. XCVII.

INDEX RVBRICARVM, IN QVO *primus numerus Cap. Secundus pag. dicit.*



DE iis, quę ad fidei, Religionisq; tuendę studium pertinet. Pagina prima.
De professione fidei. Cap. 1. 1
De Hęreticis, sacrorum verborum, aut sententiarum, rerumq; sacramentaliũ abusu. Itemque de Maleficis, Sortilegis, Magis, & Astrologis. Cap. 2. 3
De libris prohibitis. Cap. 3. 6
De blasphemis, & eorum pœna. Cap. 4. 7
De Verbi Dei prędicatione. Cap. 5. 8
De Christianę doctrinæ initiis à Parrocho tradendis, & de Ludi Magistris. Cap. 6. 13
De sanctorum Reliquiis. Cap. 7. 15
De Sacris Imaginibus. Cap. 8. 17
De festorum dierum cultu. Cap. 9. 19
De Ieiunio obseruando. Cap. 10. 19
De iis, quæ tum communiter in omnibus, tum proprię in singulis sacramentis ritè administrandis sunt à Parrochis obseruanda. Cap. 11. 20
In Baptismo. Cap. 12. 22
In Confirmatione. Cap. 13. 32
In almo Sacramento Eucharistiæ. Cap. 14. 35
In Sacramento Pœnitentiæ. Cap. 15. 47
In Extremæ Vnctionis Sacramento. Cap. 16. 57
In Sacramento Ordinis. Cap. 17. 63
In Matrimonij Sacramento. Cap. 18. 71
De Ecclesiis, Oratoriis, & Altaribus. Cap. 19. 83
De Ecclesiastica Immunitate, & Reuerentia in Ecclesiis seruãda, deq; earũ cultu, & decore. Cap. 20. 91
De Residentia. Cap. 21. 98
De Parrochis. Cap. 22. 103
De Decimis. Cap. 23. 118
De Missę celebratione. Cap. 24. 121
De Chori disciplina. Cap. 25. 130
De Præfecto Chori cęremoniarum Magistro,

pun-

punctatore, & eorum munere. Cap. 26. 138
De Hebdomadario. Cap. 27. 142
De Capitulis tum Cathedralis, tum Collegiatarum Ecclesiarum. Cap. 28. 143
De Clericis. Cap. 29. 146
De Processionibus. Cap. 30. 159
De Hospitalibus, & locis Piis. Cap. 31. 164
De Funeribus, & Exequiis. Cap. 32. 169
De Examinatoribus Synodalibus. Cap. 33. 180
De Iudicibus Delegatis. Cap. 34. 184
De Testibus Synodalibus. Cap. 35. 185
De reb. Ecclesię, piorũue operũ Iuribus tuẽdis. Cap. 36. 186
De vltimis voluntatibus piis. Cap. 37. 190
De Laicorum Sodalitatibus. Cap. 38. 196
De Quęstoribus Eleemosinariis. Cap. 39. 199
In quibus Viri, locaque Regularia Episcopali subiaceant Iurisdictioni. Cap. 40. 200
De Censibus. Cap. 41. 205
De Vicariis Foraneis. Cap. 42. 206
De iis, quæ generatim ad has Constitutiones Synodales pertinent. Cap. 43. 210

FINIS.

INDEX EDICTORVM.

EDITTO per osseruanza delle Feste, a carte 214
Pene contro a Bestemmiatori 218
Feste comandate 218
Editto per la Quaresima, & altri Digiuni 219
Giorni di Digiuno 223
Editto per le Congregazioni de' Curati 224
Editto contro gl'Adulteri, e Cõcubinarij 229
Cõdizioni p la validità de' Cẽsi 232
Sõmario della Bolla de' Duelli 234
Sommario della Bolla di Pio V. sopra i Medici 236
Decreto d'Innocenzio 3. Omnis vtriusque sexus 238
Forma di scriuere i Battezzati 238
Forma di scriuere i Cresimati, ò Confermati 240
Forma di scriuere i Matrimonij 240
Forma di denunziare i Matrim. 244
Forma della fede delle denunzie fatte 244
Libro da scriuere lo stato delle Anime 244
Forma di scriuer le Famiglie 245
Forma di scriuere nel libro de' Registrati 246
Forma di scriuere i Morti 246
Forma Absolutionis 247
Forma Iuramenti à Nominatis, Presentatis, seu Electis ante collationem 250
Forma Iuramenti per Institutos seu Prouisos 251
Forma Iuramenti per testes Synodales 252

FINIS.

Forma Tonsure Clericalis. a 146

CONSTITVTIONES PVBLICATAE In Synodo Arretina

Dieb. 17. 18. & 19 Junij 1597. celebratæ.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Amen.

De iis, quæ ad Fidei, Religionisq; tuendæ studium pertinent.



VETVS Sanctorum Patrum institutum iam indè vsque ab initio nascentis Ecclesię vsurpatum, Summorum Pōtificum editę constitutiones, & nouissimè Sacrosancta Tridentina Synodus Episcopos in Domino obtestata, earum rerum curam, quæ ad fidei, religionisque cultum, sine quo nemini ad cęlestem patriam aditus patere potest, tùm piè retinendum, tùm religiosè amplificandum pertinent, Pastorali vigilantię magnoperè commendarunt.

De Professione Fidei. Cap. I.

PROINDE nos Petrus Vsimbardius Episcopus prędictorum doctrinis, ac vestigiis, quoàd eius fieri possit, insistere cupientes, Nihil, & nostro muneri cōuenientius, & ad rem, de qua acturi

ſumus, opportunius facere poſſe putauimus, quàm ſi à fidei profeſsione, à qua vna cętera bona maxima ex parte pendere perſpicuum eſt, exordiremur.
Incipien. In ſacroſancta ęd. Idib. Nouẽb. 1564.
Ex ſacri igitur Tridentini Concilii decretis mandamus, vt quicunque canonicatus, aut dignitates, quauis auctoritate fuerint conſecuti, intra bimeſtre tempus, à die poſſeſsionis adeptę in Epiſcopi, vel eius generalis Vicarii manibus publicam catholicę fidei profeſſionem faciant, iis verbis conceptã, quę Pontificiis Pii Quarti literis ea de re editis præſcripta ſunt; Eandemq; iterum in Capitulo emittere teneantur.

Parochi item intra idem temporis ſpatium, quo beneficii poſſeſsionem obtinuerint, cui animarum cura immineat, idipſum coràm Epiſcopo, ſeu illius generali Vicario pręſtare debeant.

Qui verò ex pręđictis ſuo muneri hac in re minime ſatisfecerint, omnibus ipſorum beneficiorum fructibus (quos interea ſuos facere non poſſunt) priuabũtur; poſſeſsione eis nullatenus ſuffragãte.

Cęteri pręterea omnes de aliis beneficiis eccleſiaſticis quibuſcunq; prouiſi, In ea Synodo, in quã primo quoque tempore conuenerint, idem obire ſtudeant.

Verùm quoniam cõpertum habemus, pleroſq; hac in re negligentiores fuiſſe, quàm par ſit; Hortamur pręđictos ad eandem fidei profeſsionẽ edendam, antequam dignitatis, canonicatus, aut Eccleſię cuiuſcunque literas prouiſionis expeditas obtineant, vt eius rei præſtitę, quod valdè optamus, in eiſdem literis mentio fieri poſsit.

Concionatores item ad prædicandum Dei verbum;

bum; Nec non ſacerdotes, etiam regulares, ad confeſsiones audiendas nequaquam admittantur, niſi edita prius coràm Ordinario fidei profeſsione: dum tamen ſe alias eam ritè pręſtitiſſe nō probent.

Nemini pariter liceat theologiam, Ius canonicum, aut ciuile; ſeu alias quaſcunque ſcientias, vel artes ingenuas, & liberales publicè, vel priuatim domi ſuę, vel alienę profiteri, etiam ſi pędagogi ſint, & prima grammaticę rudimenta tradant, antequàm oſtendant, ſe fidei profeſsionem iam feciſſe; Si adhuc id præſtare recuſent; qua de re eos Parochi commonefaciant; Contumacibus interim ſuorum munerum vſum interdicant; Et eorundem nomina ad Epiſcopalem curiam deferant.

Eorum omnium, qui fidei profeſsionem fecerunt, aut in poſterum facient, nomina in aliquem certum librum à Cancellario Epiſcopali certo ordine referantur; in quo ipſimet ſua nomina adſcribāt; Eiuſq; rei pręſtitę teſtificationē gratis accipiāt.

De Hæreticis, ſacrorum verborum, aut ſententiarum, rerumque ſacramentalium abuſu; Itemq; de Maleficis, Sortilegis, Magis, & Aſtrologis. Cap. II.

ET ne impiorum hominum conſuetudine piorum fides corrumpi valeat; imo verò in eiuſdem fidei ſinceritate pro noſtra Paſtorali ſollicitudine incorrupta permaneant; Excommunicationis latę ſententię pœnam tam à Iure, quàm à Summis Pontificibus ſancitam edicentes pręcipimus quibuſcumque; Vt ſi quis in hac ciuitate, aut Diœceſi Arretina, (quod Deus auertat) Hęreticos, aut de

hęresi notatos, aut suspectos, vel eorundem sectatores, fautores, defensores, vel hęreticorum libros, vel scripta à sedis Apostolicę authoritate prohibita legentes, siue retinentes nouerint, ordinario, seu hęreticę prauitatis Inquisitori quàmprimùm denuncient.

Non omittāt Parochi inter Missarum solemnia quot annis, tùm in Aduentu, tùm in Quadragesima superioris decreti populum commonefacere. Attendant insuper diligenter, & obseruent populi sui mores, eorum prętertim, qui recentes in ipsorum Parochias immigrarint; Vt Dominicas oues à nefariis omnibus impietatibus seruatas custodiant: Et si quem non catholico more viuere compererint; vbi eum semel corripuerint, sub eadem pœna curię nostrę deferant.

Nefarium prorsus cùm sit, & à christiano pręsertim homine abhorrens, sacrarum Scripturarū verbis, aut sententiis, veneratione quidem dignis, ad impudicos, facetos, aut quauis alia ratione profanos sermones, contrà sacri Tridentini Concilii pręscriptum abuti; Fideles crebrò à Parochis admonendi sunt, ne tantum scelus vllo vnquàm tempore admittāt; ni Iuris, & arbitrii pęnis per Nos iuxtà eiusdem Concilii pręscriptum, coerceri velint.

Conc. Tr. sess. 4. De aditio. & vsu sacr. libr. §. Post hęc.

Seuerè item ex canonum, Synodiq; Prouincialis Florentinę sanctionibus puniendi erunt; Qui sacramenta, sacramentalia, aliasue res sacras ad alios vsus, quàm ad eos, ad quos instituta, & destinata sunt, conuertant; Aut ab aliis, etiam sub medicinę prætextu, conuerti patiantur, si prohibere potuerint; Vel eis aliàs impiè, aut profanè abutantur.

Syn. Flor. De sacra. cap. 5.

Nec

Nec impunè ferendi, qui morbos arcanis quibusdam à medicinę ſcientia prorſus alienis depellere; Aut ex amphoris aqua plenis, ſeu ex alia diaboli illuſione, occulta, aut furto ſubtracta indicare, & ea, quæ alibi fiunt referre præſumunt.

Improbi namq; eiuſmodi homines, & execrandę mulierculę, quę dęmonum conſuetudine illuſionibus, & maleficiis vtuntur, tàm Iuris pœnis, quàm aliis arbitrio Epiſcopi irrogandis, afficientur; Et interim excommunicationis vinculo ex pręſenti decreto ſint innodati.

Sortilegi, Magi, nec non Aſtrologi Apoſtolica preſertim Sixti Quinti conſtitutione damnati, qui iudiciariam temerè exercent, & alia ab his, quæ rei nauticę, Agriculturę, & Medicinę præſtò eſſe poſſunt, profitentur; iactantque ſe ex aliquo ſimplicium corporum, quæ elementa vocant, ſortibus, ſomniis, corporis lineamentis, & aliis id genus, futura contingentia, hominiſq; liberas omninò actiones certò prædicere poſſe, pęnis tùm in dicta conſtitutione, tùm pręcipuè Concilii Prouincialis Florentini cōtentis coercebuntur. Incip. cœli, & terrę ędit. Non. Iul. 1585. De Mag. artib. c. 8.

Parochi, Sacerdoteſq; alii confeſſores ſummam adhibeant diligentiam in extirpādo à fidelium animis omni ſuperſtitionum, maleficiorum, aut auguriorum genere, à verò Chriſtianæ Religionis cultu alieno, grauiſſima illis pœna propoſita: Et ſi quid in ſuæ Parochiæ finibus repererint inſolitū, ad Epiſcopum deferant, vt eiuſcemodi malo opportunè occurratur.

Verùm, ſi eccleſiaſtici homines, qui tales cęterorum morbos ſanare debent, ipſi ſe iiſdem inficere

non

non vereantur, quando id Episcopali curiæ legitimè constet; contra eos vsque ad beneficiorum priuationem ad sacrorum Canonum, & Concilii Prouincialis Florentini formam procedetur.

De Libris Prohibitis. Cap. III.

VT quæ ad perniciosorum librorum pestem vitandam sacra Tridentina Synodus, cùm alii Summi Pontifices, tùm verò nouissimè Sāctissimus Clemens Papa Octauus de libris prohibitis salutariter sanxerunt, in ciuitate, & Diœcesi Arretina, (vt par est) omninò seruentur; Mandamus Bibliopolis, vt in sua quisq; officina Indicem nuperrimè editum in omnium conspectu habeant; Ad cuius regulas, tàm venales, quàm alii omnes libri examinari, & expurgari debent.

Ne quis vllos audeat libros, aut cuiusuis generis scripta vendere, vel habere; nisi in Inuentario ab ipsis bona fide conficiendo, & Ordinarii, seu R. P. Inquisitoris manu subscripto contineantur, sub pęna in prędictorum Pontificum constitutionibus sancita. Eos vero, qui vectigalibus præsunt, in Domino requirimus, ne prius (vt antiqui moris est) libros aliquos Bibliopolis, seu aliis restituant, quàm nostram, aut pręfati Inquisitoris scriptam licentiam viderint.

Omnes item, qui libros cuiusuis scientiæ, aut artis quocunq; modo apud se habent, licet iis non vtantur, studeant eos exploratos, & probatos retinere. Id quod rectè assequentur, si eorundem notam ritè refertam ab Ordinario, vel ab Inquisitore

scripto

ſcripto probari curauerint; Vt eos ad ſic curandum ſub pęnis in Indice ipſo contentis teneri volumus, & iubemus.

De Blaſphemis. Cap. IIII.

CVM nefarium Blaſphemię ſcelus vix ſine infidelitate, aut impietate cõſtare poſſe videatur; Opportunum hoc loco duximus pœnas adiicere Apoſtolicis felic. Rec. Pii Quinti literis aduerſus Blaſphemos cõſtitutas, & Edicto noſtro aliàs cõtra Blaſphemos emanato comprehenſas, vt à tanto ſcelere, pœnarum ſaltem formidine, fideles abſtineant; Quod vt Dei beneficio aſſequantur; Parochi ſępius delicti, ac pœnarum grauitatem populum paternè admoneant.

Incip. Cũ primũ ęd. Cal. Apr. 1566.

Quæ Pœnæ ſunt hæ, videlicet.

QVICVNQVE laicus palàm Deum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Glorioſam Virginem Mariam, eius genitricem ſemel blasphemauerit, ſeu in eoſdem maledicta, contumelias, aut conuicia dixerit, pœnã vigintiquinque aureorũ incurrat; quę iterum peccanti duplicabitur; Qui tertiò in idem ſcelus reciderit, centũ aureos nũmos ſoluet, & ignominia notatus exilio multabitur.

Si verò plebeius erit, neque ſoluendo; corpore pœnas luet: & primùm manibus poſt tergum ligatis ante fores Eccleſię conſtituetur; Deinde virgis publicè cædetur; Poſtremò, lingua eius perforata, triremi deſtinabitur.

Si

Si autem ſit Clericus beneficiatus, annuos beneficiorum fructus, ſemel delinquens amittet; Relapſus, beneficiis ipſis ſpoliabitur; Tertium eiuſdem reus criminis, omni etiam dignitate, ac poteſtate ſacra faciendi priuatus, exulare cogetur.

Si beneficio carebit, primùm peccans, in pecunia; ſin autem, in corpore pœnas luet; Adhuc delinquens in carcerem detrudetur; Demùm de gradu Sacerdotali deiectus in Triremes coniicietur.

Qui Reliquis Sanctis maledixerit, aut blaſfemauerit, à nobis, ſeu à Vicario noſtro pro qualitate criminis, & perſonæ acriter punietur.

De Verbi Dei Prædicatione. Cap. V.

QVANTAS Diuini verbi prædicatio vtilitates, & vires habeat in Sancta Eccleſia tùm ad fidei doctrinam populis tradendam, tùm ad Religionis cultum in humanis mentibus inſerendum, & augẽdum, vel ex eo facilè cognoſci poteſt, quòd nihil hoc pręſtantiſſimo munere magis à ſacris Cõciliis fuerit animarum Paſtoribus commendatum. Quapropter illos, qui officio tàm pio functuri sũt, iis, quæ ſequuntur Decretis cẽſuimus inſtruendos; tales vt ſe eo in munere ritè peragendo præſtare ſtudeant, quales decet Miniſtros Chriſti, & Verbi Dei diſpenſatores.

Curent igitur in primis charitate non ficta, ac ſincero diuinæ ſeruitutis officio, & quę populo erunt proponenda diuini amoris ſint igne accenſa, & tanquam ignita eloquia, quibus facilè valeant auditores ad pietatem inflammari, ex ipſorũ ore prodeãt.

Eniten-

Enitendum eſt etiam eis, vt cęteros non minus vitæ ſanctitate, quàm ſana doctrina ad omnem virtutem alliciant, animarum lucra, non propria tantùm conſectantes commoda.

Ea populo in concionibus proponant, iiſque inſiſtant, quæ ad Chriſtianam inſtitutionem, atq; ad vitia extirpanda, & virtutes inſerendas præcipuè valent. Commendare verò aſsiduè, & quàm maximè debent cõfeſſionis, & Euchariſtię frequentem vſum; & cætera, quæ ad cultum diuinum pertinent; Atque in id intentiſſimi ſint, vt auditores intelligant opere complenda eſſe, quæ fide perceperunt.

Modus concionandi, qui à ſcholaſtico diuerſus eſſe debet, ita ſit ad docendum comparatus, vt vnicuique, cuius vis ſit ordinis, aut ſexus, quid agendum ſit, præſcribatur, quo quiſque pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi, Deo dante, mereatur.

In popularibus maximè concionibus, & quæ ad rudem plebem habentur, ab iis ſe quæſtionibus concionatores prorſus abſtineant, quæ difficiliores, & ſubtiliores cum ſint, ad curioſam potius tractationem, quàm ad piam ædificationem facere vidētur; Sed breui, & clara earum rerum difficilium, ex quibus aliquam fieri poſſe pietatis acceſſionem videatur, explicatione propoſita, vtilitati auditorum, & ſaluti, non ſuæ ipſorum exiſtimationi, & gloriæ, inſeruiant.

Et quia non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, vt ait Apoſtolus, ſed in virtute Dei inſtituendus eſt ad populum ſermo; non ſint in verbo Dei proponendo affectati, nec verborum leno-

cinia sectentur; sed sacram Scripturam, iuxta sensum à Catholica Ecclesia comprobatum, simplici sermone, non ambiguis, aut concisis verbis explicent.

Sess. 25. in princ.

Quæ de Sanctorum inuocatione, veneratione, & reliquiis, atque de sacris eorum imaginibus sacrum Tridentinum Conciliũ ex primæuo Ecclesiæ Catholicæ vsu, & sensu docet, cęterasq; Apostolicas traditiones fidelium auribus frequenter inculcent.

Caueant omninò, ne facetiis, aut inutilium rerum narrationem concionem faciant contemptibilem; iisuè auditores ad risum moueant: Et ne spectanda aliqua populo proponant, aut repręsentationes etiam pias, Episcopo inconsulto, intermisceant, omnino prohibemus. Quæ namque superstitionem aliquam pręseferant, vel turpe aliquod lucrum sapiunt, à concionibus penitus secludi mandamus.

Non facilè moueantur ad noua, & parùm confirmata in publicum afferenda; & multò minus ad ea proponenda, quæ alioquin dubia, & incerta sunt. Nullas promulgent Indulgentias, aut noua referant miracula sine Ordinarii approbatione.

Rationem, & modum, quem obseruare debent in decretis, aut rebus aliis opportunè populo denũciãdis, & promulgandis, seu in quibusdam pauperibus, aliisq; piis operibus commendandis, ab Ordinario, vel ab eo, cui id muneris iniunctum fuerit, accipiant.

Vitia generaliter reprehendant. In iis autem insectandis caueant, ne aures auditorum aliqua ratione offendere possint. Prælatos, & Principes nunquam in particulari, sed modestè, & cum charitate redarguant, honorificam de iis semper faciant mentionem, populumque ad præstandam iisdem obe-

dientiam

dientiam cohortentur.

Curent quàm primùm edoceri, quonam potissimùm vitiorum genere eorum auditores laborent; & ad ea præcipuè sananda paratissimi accedant. Malas consuetudines, prauasq; peccandi occasiones, nimis familiares, redarguant, detestentur; sæpiusq; ad virtutes oppositas ipsos adhortentur.

Noctu nunquam concio habeatur; ne tum quidem, cùm de Passione D. N. Iesu Christi erit agendum; sed vel illucescente die, vel in priuatis laicorũ Oratoriis vesperi ante multã noctem; Eoque tempore id maximè seruetur, vt nihil fiat, aut dicatur etiam ad prouocandas lacrimas, quod à Christiana disciplina aliquo modo abhorreat.

Cùm autem non debeat prædicationis officium à quouis indifferenter vsurpari; sed ab iis tantùm, qui vel ex iniuncto sibi munere curam habent animarũ, vel aliàs ad id officii sunt assumpti, ritè exerceri; Prohibemus in primis ex sacrorum Canonum constitutionibus, laicis quibuscunque, ne illud, siue publicè, siue in priuatis conuentibus, aut Oratoriis vsurpare præsumant; cùm eis potius incumbat necessitas audiendi, & obsequendi, quàm docendi. Nec propterea studium adhortandi, & ad meliorem frugem alios reuocandi, & præsertim eiusdem societatis fratres reprehendimus; Sed si quando de rebus diuinis instituendus sit sermo, id ab aliquo Sacerdote, ad id muneris peragendi approbato, fieri iubemus.

Sacerdotes etiam seculares, quibus nulla animarum cura commissa est, cæteriq; inferiorum ordinum Clerici quicunque, nisi obtenta ab Episcopo

licentia, intelligant, se à tali munere interdictos.

Regulares insuper, cuiuscunque ordinis, etiam ad hoc munus exercendum à suis superioribus probati, & assumpti, illud aggredi nulla ratione tentabunt; nisi ex sacri Concilii Tridentini præscripto, impetrata ab Ordinario debita concionandi licentia in Ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt; seu benedictione, in Ecclesiis, quæ suorum ordinum sunt, quæ gratis concedetur.

Sess. 5. c. 2. de ref. ge.

Et ne ii, quibus huius officii cura præcipuè commissa est, sint in ea administranda remissiores; Parochis omnibus, & cæteris curam animarum habentibus, ex Decreto eiusdem Concilii præcipimus, vt omnibus Dominicis, & aliis solemnibus diebus festis per se ipsi inter faciendum sacrum, concionem, seu sermonem aliquem breuem, ac vtilem ad plebem habeant, aliqua ex prælecto Euangelio, quod explicabunt, documenta desumendo, quæ videantur vtilia futura, & ad deuotionem, ac pietatem audientium excitandam magis opportuna.

Conc. Tr. vbi supra.

Quam item verbi Dei prædicationem ex Conc. Prouincialis Florentini Decreto habendam iubemus in iis etiam Parochiis, quæ, licet forsan exemptæ, aut annexæ, vel vnitæ sint Ecclesiæ alienæ Diœcesis, intra Arretinæ tamen fines continentur.

De prędicat. Verbi Dei c. 2.

Si qui verò ob memoriæ, aut exercitationis defectum, se ad id minus idoneos agnouerint, Homilias aliquas, latinos sermones, aliosque pios libros, inter quos Cathechismus Romanus pręcipuum dicendi argumentum suppeditabit, lingua, qua vulgò vtimur conscriptos, vel in eam conuersos, Authoris ab Ecclesia recepti, descripto pronuncient.

De

De Christianæ doctrinæ initiis à Parocho tradendis, Et de ludi Magistris. Cap. VI.

ET ne paruuli panem petant, nec sit, qui frangat eis, sed vt ab ineunte ætate Christianæ fidei rudimentis, religionisq; officiis instituti, ad maturiorem prouecti, in iisdem se postea facilius contineant; Mandamus, vt præter illud prædicationis munus, quod Parochi obire tenentur, pueros in sua quisque Ecclesia, pro meridiano tempore in ciuitate, & locis insignibus Diœcesis; Alibi verò, vt commodius Parochis, & populo erit, doctrinam Christianam edoceant, ad libelli ob id authoritate nostra olim impressi præscriptum.

Vt autem omnes cùm ad docendum, tum ad discendum Christianam doctrinam alacriores reddantur, Pontificias Indulgentias Parochi, huic tam piæ exercitationi operã nauantibus elargitas, annũcient. Conft. Pij V. inc. ex debito ęd. die 6. Oct. 1572. & alia Greg. 13. incip. illius, qui æd. die 21. Oct. 1572. cum constit. seq.

Cohortentur adolescentes ad obedientiam, & reuerentiam Deo, parentibus, & maioribus suis præstandam. Et patres familias sedulò moneant, vt filios, & filias, cæterosq;, quos habent in familia, ad Christianam doctrinam addiscendam mittant, vel secum ipsi potius adducant; ne, si id facere negligant, seueram pro eorum, quibus præsunt, animabus rationem sint Deo reddituri.

Quoniam verò non aliqui solum pueri, adolescentes, sed viri etiam, & fœminæ ætate graues, vel ingenii hebetudine, vel alias rudes, & inepti facilè reperiuntur, qui non modò totam Christianam doctrinam addiscere non possunt; sed nec adhuc re-

ctè sciunt, aut non benè pronunciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum, vt eorum saluti, ad quã hæc quattuor Christianæ institutionis elementa sunt omnibus cognitu necessaria, opportunè consuleretur, ea in vulgarem sermonem conuersa, nunc denuò in separato libello imprimẽda curauimus. Et proinde Curatis omnibus, qui rusticanis viris præsunt, iterum iubemus; vt diebus festis intra Missarum solemnia vnum, aut aliud prædictorum capitum pro temporis opportunitate, distinctè, & clara voce recitare non omittant; populum hortantes vniuersum, vt iteratas ipsorum voces referat; Sed studeant deinde facilem vnius, aut alterius partis explicationem ex Cathechismo breuiter afferre.

Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 9. c. 7.

Grammaticæ item Magistri ex decretis Lateranensis Concilii debent & ipsi suæ disciplinæ commissos pueros ad fidem, pietatemq; informare; Et non doctrina solùm, sed honestis etiam moribus ætatem illam, ad voluptates nimis propensam, instruere, atque hortari; Et, in quantum possunt, cogere, vt ne dum ad Missas, sed etiam ad alia diuina officia, conciones, & sermones audiendos ad Ecclesias accedant.

Index lib. prohib. in 7. reg.

Interdicitur omninò ludi Magistris eorũ librorum lectio, & explicatio, quibus adolescentium animi facilè deprauari, moresq; corrumpi solent; Vt sunt prohibitorum librorum Indice notati, seu turpia, & obscena tractantes, quorum loco pios libros, & præcipuè Cathechismum, Christianosq; Poetas iuuenibus proponant.

Demum cùm recta iuuenum institutio ex incorrupta

rupta Magiſtri vita magna ex parte pendeat; neceſſarium porrò eſt, vt Chriſtianæ pietatis exemplo, & morum, ac vitæ integritate ipſis prælucere ſtudeant.

De Sanctorum Reliquiis. Cap. VII.

AD fidei, religioniſq; ſtudium non parùm pertinere videtur, vt Sanctorum reliquiis, qui decet honor, veneratioq; habeatur. Quare à Parochis ſedulò hortandi ſunt fideles, vt piè, religioſeq; illorum, qui viua Sancti Spiritus templa fuerunt, reliquias colentes, pietate ſincera, & ſancta inuocatione Beatorum cum Chriſto regnantium ſuffragia, & patrocinium ſtudeant apud Deum ſibi comparare.

Et vt certæ ab incertis, & probatæ ab aliis ignotis diſcernantur, iubemus Parochis, vt quas habent in propriis Eccleſiis, ſacras reliquias in inuentarium, diſtinctis diligenter earum nominibus, ordine referant; Incertas verò, aut nouas nunquam populo proponant publicè venerandas, donec eas Epiſcopus, adhibitis in conſilium theologis, piiſq; viris, iuxta Concil. Trid. ex authentico documento, aut antiquis monumentis approbauerit.

Conc. Tr. ſeſ. 25. De Inuoc. Vener. & Reliq. prope finem.

Probatas, ornatiſſimis in vaſculis, loculiſq; Parochi recondant, panno intus ſericeo, pro ratione Sanctorum, rubro, vel albo contectis; & affixa ſingulis proprii nominis inſcriptione, ſi id conſtet: ſin minus, ſchedula declarante eorum nomina ignorari, & in locis Eccleſiæ decentioribus benè ſeptis, & conſpicuis, earumq; conſeruationi, & venerationi congruentibus, reponant; In quorum exteriori parte piæ aliquæ Sanctorum imagines pingantur; aut decenti

centi alio ornatu honestentur; Vtq; omnibus innotescat, quid ibi asseruetur, in inferiori parte inscribatur: Sanctorum reliquiæ; & ante eas lampas die, noctuq; ardeat, vel saltē dū diuina celebrantur officia.

Asseruent autem in loco disiuncto, ac separato à sacræ Eucharistiæ tabernaculo, benè tamen clauso; &, si vni loco sunt destinatæ, ad alium inscio Episcopo non transferantur; alicui non donentur, nec venales aliquo pacto exponantur: nec item ad ægrotos afferantur; intra domesticos parietes; nec in priuatis ædibus à quoquam habeantur; &, quæ hactenus habentur, curent Parochi, & Confessarii, vt Ecclesiis offerantur.

In Cathedrali, & Collegiata Ecclesia Arretinę ciuitatis locus, vbi cōdita sunt Sāctorū corpora, vel mēbra, duabus saltem clauibus, iisq; diuersis claudatur; quarum altera Episcopus, alteram verò, qui primam in ea Ecclesia obtinet dignitatē, custodiat diligenter.

Nunquam temerè, aut lucri gratia, nec ab operimentis nudæ; sed solennibus tantum diebus, vt venerentur, piæ plebi conspiciendæ exponantur; Et à Sacerdote solum; vel ab eo, qui Diaconatus ordine sit insignitus, Superpelliceo, Stola, &, vbi possit, Pluuiali etiam induto, in vasis ipsis, cæreis ardentibus, thurisq; honore adhibito, deferātur, & populo ostendantur. Proinde nefas sit reliquias ipsas laicorum manibus attrectari: aut eas collo appensas ab iisdem gestari; Siquæ verò apud laicorum confraternitates reperiantur, ita conditæ seruentur, vt solis Ecclesiasticis personis eas tractare liceat; Propterea vbi etiā à laicis claues loci, in quo eæ asseruantur, custodiuntur, ex illis vna, & ea ipsa, quæ magis est proxima lo-

Conc. Tr. vbi supra.

co, ſeu vaſis, in quibus reliquiæ reconditæ ſunt, illa Sacerdoti aſſignetur, qui primam dignitatem vel primum locum obtinet in Eccleſia Parochiali, intra cuius fines confraternitas ſita eſt.

De Sacris Imaginibus. Cap. VIII.

CVM religionis ſtudio eſt ita coniunctus ſacrarum reliquiarum, & pariter imaginum cultus, & vſus, à primis vſque Eccleſiæ temporibus cõmendatus, vt cum pro tradita Epiſcopis à Trid. Cõc. de vtriſque cura, hactenus de reliquiis dictum ſit; de imaginibus nunc quædam afferenda ſunt. Conc. Tr. ſeſ. 25. De Inuoc. Vener. & Reliq.

Primùm igitur ſtatuimus, nemini licere vllo in loco, tam publico, quàm priuato (etiam ſi domus propria eſſet, aut Eccleſia quomodolibet exempta) inſolitam aliquam, aut inſolito modo pictam, ſeu ſculptam imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi prius Epiſcopus illam probauerit, vel is, qui ab Epiſcopo huic rei præficietur, exploraturus, ne quid ſit in Eccleſia falſum, aut ridiculum, nihil non pium, nihil deniq;, quod ſacrarum literarum veritati, authoritatibus, traditionibuſue Eccleſiæ, ſeu Chriſtianæ pietati, honeſtatiq; aduerſetur; aut à prototypi dignitate, & ſanctitate, aliqua ratione diſſentiat.

Et, ne procliues ad malum hominum mentes infœdas, aut turpes cogitationes alliciantur; nemini impunè liceat ad ornandas Eccleſias, vel ea loca, qua ſupplicationes tranſire debent, obſcenas imagines, aut ethnicorum hominum, mulierumue ſigna, quæ laſciuiam præſeferunt, aut aulea, quæ obſcenis intexta ſunt, adhibere.

Eadem ratione ſancimus, vt imagines illæ paruulæ, fucatæ, meretricioque ornatu concinnatæ, quæ, vt plurimùm penès Deo ſacratas Virgines reperiuntur (etſi Sanctorum, ſeu Sanctarum imagines referant) in Eccleſiis, & altaribus non ponantur, & quæ poſitæ ſunt, arceantur, remoueanturq;.

In imaginibus effingendis, & ornandis (etiam ſi in domeſticis ædibus habendæ ſint) omnem laſciuiam, & procacem venuſtatem, ac obſcenitatem omninò deuitari volumus; Si quæ verò antea pictæ, vel ſculptæ hanc ob cauſam non videantur ferendæ, vel deleantur, vel corrigantur, vel panno aliquo obducantur.

Quæ ob nimiam vetuſtatem, aliamue ob cauſam adeò conſumptæ, deformatæ, aut carie corroſæ ſunt, vt facilè refici, & reſtaurari non poſſint, remoueantur ab Eccleſiis, aliiſue locis, tum publicis, tum priuatis; Et, ſi de materia combuſtibili ſint, comburantur, & cineres ſub alicuius Eccleſiæ, vel cœmeterii ſolo recondantur; quo loco eæ etiam collocentur, quæ ex materia non combuſtibili fuerint.

Cruces, clariſſima diuinæ miſericordiæ, ac redemptionis noſtræ monimenta, nec humi, nec ſordidis, aut aliqua labe inquinatis locis exprimantur; Si quæ verò iam fuerint, eæ omninò (vt par eſt) amoueantur quàm primùm; ne pedibus conculcentur, aut ludibrio habeantur; id quod de aliis ſacris imaginibus ſancitum ſit.

Noua cuiuſcunque generis imaginum miracula ne recipiantur, aut euulgentur: nec ob id altaria erigantur; aut imagines inſueto luminum, & ornamentorum honore afficiantur; neque oblationes,

vota,

vota, aut miraculorum tabellæ à quoquam ſuſpendantur; donec ab Epiſcopo de Theologorum, piorumq; virorum conſilio, non ex vulgi concurſu, aut rumoribus, quibus obſiſtendum eſt, ſed explorata rei veritate ad Concilii Trid. præſcriptum miracula fuerint legitimè recognita, & comprobata. Conc. Tr. vbi ſupra.

De Feſtorum Dierum cultu. Cap. VIIII.

QVONIAM verò maximè decet, vt quorum ſacræ reliquię, atque imagines venerandæ ſunt, eorumdemq; natales dies, in quibus ipſi ad fidem, & religionem amplificandam piè quippiam, & præclarè, aut geſſerunt, aut paſſi ſunt, qua decet obſeruantia colantur; ex Conc. Trident. decretis, ac Summorum Pontificum ſanctionibus, omnibus, & ſingulis cuiuſuis generis, ſtatus, conditionis, etiam aduenis, vel Hæbreis mandamus, ne quis tam in ciuitate, quàm alibi in Diœceſi Arretina audeat diebus feſtis ea facere, & exercere, quę Edicto noſtro, aliàs communi lingua edito, prohibentur; quod perpaucis ad difficultates tollendas adiectis, in fine harum Conſtitutionum, impreſſum habebitur. Conc. Tr. ſeſ. 25. De delec. cib. ieiun. & dieb. feſt. Conſt. Pij V. inc. cũ primũ ed. Cal. Apr. 1566.

De ieiuno obſeruando. Cap. X.

SOLENNIS ſacri ieiunii obſeruantia, & Quadrageſimalis præſertim, tum à Chriſto Domino, à quo vim legis accepit; tum à Sanctis eius exemplo ipſo probata, & fidelibus commendata, ad religionis, Sanctorumq; dierum cultum vſque adeò pertinet; vt, niſi pręter cęterarum virtutum imitationem,

in ipſo item Ieiunio ſanctè colendo fideles illorum veſtigia præcipuè ſectari ſtudeant; nec glorioſis eorumdem natalitiis religiosè in Domino congaudere in veritate cenſendi ſint.

Quapropter cōſentaneum admodum viſum fuit, poſt tractatū de feſtorū dierū cultu, quę de ieiunio piè obſeruando fuerunt ſanciēda, ſubiicere. At quoniam plura, quę in quadrageſimali, & in aliorum ieiuniorum tempore ſeruanda ſunt, ex edicto vulgari ſermone olim expoſito, quod in fine harum conſtitutionum habetur, vnicuiq; (cùm opus fuerit) petere licebit; omnes propterea, & Parochos etiam ad illud reiicimus, & eius obſeruātiā omninò iubemus.

De iis, quæ tum communiter in omnibus, tum propriè in ſingulis ſacramentis ritè adminiſtrandis ſunt à Parochis obſeruanda.

Cap. XI.

CVM maximè deceat ſacris miſteriis eum religionis cultum tribuere, vt à ſanctis, ſancta, piè ac religiosè tractari videantur; ſanctitatem in primis, ſacrarū rerum miniſtri, quo ad eius fieri poteſt, ſtudeant imitari; caſteq;, ac purè ad ea miniſtranda, ſeu conficienda ita accedant, vt ex eorum frequenti tractatione, & vſu non æternam perniciem, ſed vberiorem in dies gratiam conſequantur.

Ad frequentem Sacramentorum vſum feſtis pręcipuè ſolennioribus populum ſibi creditum cohortari non deſinant.

Et, vt fideles intelligant, quanta veneratione, ac pietate ſacramenta colenda, & ſuſcipienda ſint, ipſorum diuinitatem, & fructum ex Cathechiſmi Romani

ni doctrina Parochi frequenter explicent; tunc verò præcipue, cũ ea pluribus præsentibus ministrabunt.

Illud etiam quam diligentissimè curent, vt in eorum administratione propriam, aptamq; materiam assumant, cui prescriptam verborum formam simul adiungant; que duæ sunt partes, sine quibus sacramenti ratio consistere non potest.

In ipsorum sacramentorum, aut etiam sacramentaliũ administratione sint semper superpelliceo saltem, subtalariq; veste induti; stolaq; congruentis coloris collo circundati; que formam crucis figuret in pectore; idque non solùm seruent in Ecclesia, sed etiam extra, cum extra eã ministrari contigerit; ritusq; omnes, ac solennes ceremonias Ecclesiæ sanctę instituto, atque vsu comprobatas, teneant: nihil verò noui, aut extranei penitus admittant; neque patiantur quicquam immisceri profanũ, aut à pio cultu alienum; Caueant tamen, vt nullum vnquam sacramentum, aut sacramentale dispensent ex his, in quorum dispensatione lumen requiritur, nisi duobus saltem luminibus adhibitis; ne Christi misteria contingant in tenebris ministrari.

Cum nullum sit officium tam sanctum, atque solenne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat; ad omnem tum auaritię, tum simoniæ euitandam, vt decet, vel suspicionem, nihil prorsus in sacramentorum, & sacramentalium exhibitione exigatur; neue tacitè quidem, aut nutu quicquam petatur; sed quę gratis accepta sunt, gratis etiam concedatur; si quid verò eleemosinę nomine, aut pietatis studio spontè detur, accipi poterit; vt id quoque recipiendum est, licet non acerbè exi-

gendum,

gendum, quod ex antiqua, & legitimè præſcripta conſuetudine ſacerdotibus dari conſueuit; Quòd ſi quis parum pius, & propriæ ſalutis negligens id dare vel negauerit, vel neglexerit, nec, vt ille prophanus, de peccato glorietur, aut iniuriam ius eſſe putari contingat; tunc Epiſcopum, ſeu Vicarium adeãt, qui ſummariè ei ſatisfieri curabunt.

Eſt adeò proprium Parochorum munus, vt tam rectè, quàm maleualentibus ſedulò, & opportunè per ſe ipſi (niſi legitimè fuerint impediti) fidelibus eorum curę creditis, ſacramenta miniſtrent; vt alii præterea nemini id liceat; dum tamen neceſſitas nõ vrgeat, aut Epiſcopus, vel ipſe Parochus id minimè conceſſerit; citra quem vrgentis neceſſitas caſum, nec etiam de conſenſu, aut licentia Parochi, ii ſacramenta miniſtrare pręſumant, qui ad ea miniſtranda probati non fuerint; qui ſecus fecerit, dignas temeritatis ſuæ pęnas luet.

Caueant proinde quam maximè, ne ipſorum negligentia, aut culpa abſque debitis Eccleſiæ ſacramentis quiſpiam eorum pereat, de quorum ſalute ſunt Deo rationem reddituri; cuius quidem iudicium haud impunè euadent, ſi quando accidat, vt grauiſſimas arbitrio Epiſcopi meritò imponendas ſibi pœnas effugiant.

In Baptiſmo.

cap. xij

CVM infantibus nulla alia ſalutis comparandę ratio, (niſi Baptiſmus prębeatur) relicta ſit; hortãdi magnopere à Parochis fideles erunt, ne iis, quorum cura ad eos pertinet, Baptiſmus proroge-

tur; ſed vt ad ſummum, infra tertium, vel quartum diem ab ortu, (ſi id ſine periculo liceat) ad Eccleſiam deferendos, & ſolennibus cęremoniis baptizandos curent.

Soli ſacerdotes iure ſuo ſacramentum hoc in Eccleſia, ſolenni ritu celebrare debent; at ſi mortis periculum immineat, cęremoniis dimiſſis omnibus, & vbique eſt hoc munus permiſſum, maribus, feminis, Iudæis quoque, Infidelibus, & Hæreticis, modò illis propoſitum ſit efficere, quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit.

Cõc. Trid. ſeſſio. 7. de Baptiſ. canon. 4.

Hanc adminiſtrationem mulier, ſi mares adſint, laycus pręſente clerico, tum clericus coràm Sacerdote, nunquàm aſſumant; Quamquã fęmina in hoc munere perita viris ignaris pręferenda ſit; ſciant autem omnes grauiter peccare, dum extra Eccleſiam, aut ab alio quam à Sacerdote, ei Baptiſmus confertur, qui in Eccleſia, ſine euidentis mortis periculo, ſolenniter à Sacerdote baptizandus deferri poteſt.

Quarè Parochi ſæpè populum hac de re generaliter admoneant; tum præcipuè obſtetrices pluries in anno priuatim aduocent, & diligenter edoceant, tria in Baptiſmo ritè adminiſtrando requiri, materiam, quę eſt aqua ſimplex, ſincera, & naturalis, non autem artificioſa; formam, quæ eſt, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. vel, Io ti battezzo nel nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito ſanto. Amen. Cui nihil addendum eſt prorſus, aut detrahendum. Et hæc duo ad eius perficiendam ſubſtantiam ita coniunctim adhibenda ſunt, vt idemmet, qui infantis caput aſpergit, verba ipſa interim pronunciet. Tertium eſt, vt mini

ſter

ster id agere intendat, quod Ecclesia Catholica in ea sacra functione faciendum proponit.

Si quas autem obstetrices ita ignaras, vel rudes repererint, vt in pręmissis nequeant erudiri; officium eiusmodi illis interdicant; donec plenè didicerint, quę sunt ad hoc sacramentum necessaria.

Nec item ignorari debet præsertim ab obstetricibus, neminem dum totus materna in aluo continetur, baptizandum esse; sed, si infans mortis in periculo versetur, antequàm totus è ventre prodeat, tunc super capite, vel manu, vel pede, vel etiã digito, quæ apparere incipiant, ilicò effundatur aqua, adhibita Baptismi forma; idem verò si viuus postea totus prodierit, & alia corporis parte, sed non capite fuerit ablutus, vt tutius cum eo agatur, in capite baptizandus erit; cum conditionali tamen verborum forma, quæ inferius ponetur.

Sin dubium fuerit, an infans (cuius pars è materna aluo primùm egreditur) viuus sit, an mortuus; baptizandus est sub hac conditione, si non es mortuus, ego te baptizo.

Baptizandi ritus per trinam aquę infusionem in Cathedrali seruatus, à cęteris inferioribus Ecclesiis retineatur; propriumq; vas ad eum infundendi vsum habeatur; caueaturque, ne aqua infantis capiti infusa in eundem recidat fontem, sed in piscinam, quæ baptismali fonti coniuncta esse debeat, eodemq; sepimento contineri; vel in aliud vas profluat, quo in sacrarium inferatur.

Solennes, ac sanctę Baptismi cęremonię, licet nõ eius sint dignitatis, aut necessitatis, quam habet sacramentum ipsum; non tamen pręteriri debent; sed

curan-

curandum eſt, vt eę quàm primùm illis in Eccleſia à Sacerdote adhibeantur, qui, inſtante mortis periculo, ſine iis fuerunt baptizati.

Cùm ſine ſacrilegio, ac irregularitatis nota baptiſmus iterari non poſſit; diligenter in primis exquiret ſacer miniſter; num, neceſſitate ita poſtulante, qui ſibi offertur, infans, ritè ſit domi baptizatus: ob id curent parentes, quando baptiſmus fuit domi collatus, vt qui contulit, vel præſens fuit, is infantem ad Eccleſiam deferat, aut comitetur.

Quòd ſi recta verborum forma, & materia coniunctim adhibita factum repererit; caueat, ne iterũ, etiam ſub conditione, baptizet; ſed poſtquàm ſuper ipſum orauerit, inſufflauerit, eumq; benedixerit, ſignauerit, cathechizauerit; ſale os ipſius infantis ad ſapientiam condierit, pectus, & ſcapulas oleo ad fidem, & pęnitentiam linierit, & ad Chriſtiani nominis dignitatem verticem oleo Chriſmatis inunxerit; Aquę infuſionem, & Baptiſmi verba prętereat; ſed, vt Cōcilio Prouinciali Florentino cautum eſt, abſq; aſperſione aquę hęc verba proferat; Quia tu es baptizatus, Ego te benedico, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. At reliqua iuxta ritualem librum omnia compleat. De Bapt. cap. 2.

Sin autem poſt diligētem inquiſitionem dubium reſtat adhuc, pręmiſſis tunc aliis ritibus, conditionali hac forma vtatur dicens. Si tu non es baptizatus, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; Amen. & aquam interim perfundat.

Eandem hanc formam ſeruet, cùm infans expoſitus offertur baptizandus; licet appenſum collo habeat ſcriptum, quo baptizatus ſignificetur, niſi alia

ratione sibi de Baptismo constet.

Gentilium, & impiorum hominum nomina infantibus ne imponantur; verùm ab iis sumantur potius, qui ob verę pietatis, ac religionis studium in Sanctorum numerum sunt relati, vt nominum similitudine excitati, eorum sanctitatem imitari studeant, ac sępè precentur, sperentq; ad salutem tum animi, tum corporis sibi fore potissimum aduocatos; tuncq; vnum tantum nomen, & non plura eis imponi Parochi curent.

Sess.24. de ref. matr. cap. 2.

Tridentino Concilio cautum est, ne plures baptizatum de sacro fonte suscipiant; sed vnus tantùm, siue vir, siue mulier; vel, ad summum, vnus, & vna; quod prorsus seruandum est; Propterea Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizandum de sacro fonte suscipiant; & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; quòd si fortè alii vltra designatos baptizandum tetigerint, non ob id tamen erunt compatres, vel cõmatres; nullamq; cognationem spiritualem contrahent; Designati verò patrini, & tangant, & leuent, &, si mas, & fœmina eodem tempore sint, non vnus tantùm leuet, & alius tangat, vt sæpè fit; sed ambo pariter leuent, & sustineant.

Efficiant Parochi, vt susceptores eiusmodi intelligant quale nam sit eorum munus; quidue pro filiis spiritualibus Deo solenniter spondeant; Est enim, vt eos perpetuò commendatos habeant; vtque diligenter curent, vt in Christianæ vitę, morumq; proba torum disciplina tales se præbeant, quales eos futuros sanctè spoponderunt.

Quoniam

Quoniam sanctę huius tutelæ administratio, iis nimirum committenda non est, qui eam gerere, aut fideliter nolint, aut sedulò, & accuratè non queant; ab hoc munere Hęretici in primis, Iudæi, & Infideles arcendi sunt.

Non admittendi excommunicati, interdicti, qui eo anno ex Ecclesiæ præcepto peccata confessi non fuerint, & sanctissimam Eucharistiam in Paschate non susceperint; publicæ meretrices; publica notati infamia; grauioribus alligati facinoribus; annis quatuordecim minores.

Prohibendi quoque regulares, & clerici sacris initiati ordinibus, Ecclesiasticaq; beneficia obtinentes, nisi superioris accedat licentia.

Nec item recipiendi, qui prima Christianæ religionis rudimenta, orationem videlicet Dominicam, Salutationem Angelicam, Apostolorum Symbolum, seu Decalogũ ignorant, nisi aliud suadeat necessitas.

Parentes verò admonendi sunt, ne proprios filios ipsi baptizent; nisi quando ita cogat necessitas, & alii periti haberi non possint; numquàm verò suscipiãt; siquidem mutua matrimonialis debiti petitio impediretur.

Non sinant Parochi patrinos ignorare, eos cum baptizato, eiusque veris parentibus ea spirituali cognatione deuinci, vt inter eos matrimonium contrahi non possit, & contractũ dirimatur; eandemq; cognationem oriri pariter, cũ baptismus sine solennitate domi à quocunque ritè administratur; nullamq; cognationem contrahi, cum pro Exorcismo, & Chrismatis vnctione ad Ecclesiam defertur, tunc enim res sacra dũtaxat, & non sacramentũ cõficitur.

Conc. Tr. vbi supra. Const. Pij V. inc. cũ illius edit. Cal. 4. Decę. 1566.

Nec item ſinant eos cum armis offenſiuis accedere,&,ſi fœminę fuerint,non admittant, niſi velato capite obſtruſo pectore, modeſtoque habitu indutæ ſint; & cum infantes mundo, & pompis eius in baptiſmi collatione renuncient, remotis quibuſcunque monilibus, aut crepundiis opere aureo, argenteo,vel ſerico elaboratis deferantur;& qui pręſentes fuerint,iocis,nugis, riſibus, vaniſq; colloquiis ſemotis, aperto capite piè, ac religioſè quid agatur, attendant.

Catechiſ. de Baptiſ. ceremon. num.62.

Prohibeant mulieres infantem ad Eccleſiam baptizandum deferentes,ne eam ingrediātur;ſed ipſas antè fores ſiſtere cogant, donec ab eis fuerint introductæ; cùm indignus ſit quis, vt domum Dei prius ingrediatur, quàm ab eo turpiſſimum ſeruitutis iugum excutiatur.

Prohibeant quoque, ne in baptizati faſciis, ab iis qui eos de ſacro fonte ſuſceperint, aliquid imponatur; aut eorum parentibus, ſeu obſtetricibus in Eccleſia baptiſmi tempore elargiatur.

Inueſtigent,an baptizandus de ſuo plebatu ſit, ad eoſque pertineat baptizare: quòd ſi alieni comperient eſſe plebatus, ad proprium iubeant deferri plebanum; nulloq; pacto eum baptizare præſumant, niſi vitæ periculum immineat,aut proprii plebani licentia intercedat: priuilegio tamen Eccleſię Cathedrali à iure communi conceſſo, vt in ea Diœceſani baptizari poſſint, in ſuo robore perſiſtente.

Denuncient iis,ad quos infantis cura pertinet, atque ſępius publicè populum moneant, ne intra annum in eodem lecto infantes ſecum, vel cum nutricibus abſque capſula cubare permittant,ſub excommuni-

municationis pœna, & alia arbitratu nostro; declarentq; ei, quòd si suffocatio aliquo pacto sequetur, censuris Ecclesiasticis, aliisue pœnis vsq; ad exilium à ciuitate, & Diœcesi inclusiuè, iuxta personarum qualitatem, tam mulieres, quàm viri (si & ipsi concubantes fuerint commissæ suffocationis tempore) pro modo culpæ, & Prouincialis Florentinę Synodi constitutione punientur: addita etiam condigna, ac salutari pœnitentia publica, vel secreta, prout publica, vel secreta erit suffocatio. De Suffocationib. c. Vnico.

Habeant Parochi codicem ad id comparatum, in quem baptizati, ipsiusque parentum, nec non leuantium, & ministri nomina, vnà cum baptismi suscepti, ac natiuitatis die, mense, & anno ritè conferant, iuxta formam post has constitutiones præscriptam.

Licet dum Diœcesim visitaremus, plerosque baptismales fontes satis decẽtes, & ornatos viderimus; alios non adeò ineptos, vt tolerari non possint; præsertim si ea præstentur, quæ opportunè fuere decreta; tamen vbi aliquos de integro refici, aut in posterum exędificari oporteat, vt in promptu cuique sit præscripta decens forma, hæc subtexere placuit.

Fons baptismalis constet ex marmore, solidoue alio ex lapide, in quo baptismalis aqua adeò tuto cõseruetur, vt nulla ratione inde sensim effluere possit.

Quòd si eius generis sit lapis, qui nec munde nec tutò aquam continere possit, eamue imbibat; vas æreum stanno intrinsecus illitum, strictim ipsi fonti coherens, beneq; compactum adhibeatur.

Habeat ciborium ligneum, pyramidis instar, cum Cruce in summitate super fontem accommodatum, ad sacra olea Cathecumenorum; & mantilia duo saltem

tem candida & munda asseruanda, quæ infantis capiti abstergendo, vsui tantùm sint.

Fons operculo ligneo, & fida claue custodiatur, quo aqua à puluere, & sordibus cautius conseruetur; clauis verò separatim ab aliis, cum cordula sericea, flocculoque viridi retineatur, & in Ecclesię Sacristia cautè per eum, cui cura imminet baptizandi, custodiatur.

Baptisterium ligneis saltem cancellis sępiatur; ita tamen, vt Sacerdos, & infantium susceptores intra eos consistere possint; &, si extra fornicatam parietis concauitatem fuerit, conopeo, saltem è tela decenter picta, contegatur.

Collocatus sit fons baptismalis in Ecclesia à sinistra ingredientium parte, nisi situs, aut loci ratio iudicio Episcopi aliud exposcat.

Intra septa fontis huiusmodi, piscina, siue sacrarium construatur, in quod aqua capiti infantis perfusa, manuum ablutiones, puerorum sordes, & aqua ipsius baptismalis pręteriti anni, dum renouatur, proiici possint; tectumq;, & clausũ iugiter habeatur.

In pariete ad ipsum fontem proximo, sit imago sancti Ioannis Christum Dominum baptizantis, depicta.

Superioris anni aqua baptismali nemo vtatur; sed ea in annos singulos, in Sabbatho sancto, tum etiam in vigilia Pentecostes iterum solẽnibus cęremoniis, & ritibus, tam in Cathedrali, quam in Collegiatis, & aliis Ecclesiis, vbi moris est, benedicatur in ipso baptisterii fonte, non autem in alio vase, aut loco; accedentibus eò Clericis, & Sacerdotibus, qui ad id de iure, vel consuetudine teneantur.

Baptismi

Baptismi fonte putrescente, aut alia ratione penitus deficiente, allata ex viciniori Ecclesia aqua solenniter benedicta, & super addita alia deinde aqua pura, & naturali, fons ipse renouetur; seu priuatim cotta, & stola indutus Sacerdos nouam poterit aquam, sine solennitate tamen, benedicere incipiendo ab ea Antiphona. Sicut ceruus, vt in Missali.

Purgetur autem, & abstergatur optimè fons baptismalis, quotiescunque aqua renouari debeat, veteri in sacrario infusa.

Sacra olea ab Episcopo quotannis consecrata renouent omnino Parochi, combustis vetustioribus, & vasculis benè abstersis; bombix etiam, quæ ipsorum oleorum vsui deseruierit, cum eis comburatur; cineresq; in sacrarium proiiciantur. Neque aliundè quàm à Cathedrali Ecclesia Arretina sumant Plebani, Baptismaliumq; Ecclesiarũ Rectores, idq; opportunè, vt Sabbatho Sancto in fontium benedictione adhiberi possint; reliquis verò etiam ab ea plebe, cui subsunt, sumere liceat.

Ei tantum deferenda tradantur, qui sacro saltem ordine sit initiatus, & vascula ex argento, vel stanno, cum operculis, quę in girũ instar vitis torqueantur, & singulorum ori infigantur, attulerit; capsula lignea extrinsecus corio cõtecta recõdantur. Sintq; vascula ita literis notata, & distincta, vt sacra olea internosci facilè queant; non enim minus decenter, quàm tutò, & sine effundendi periculo res eiusmodi sacras portari conuenit; vbi verò ea distribui solent, liber sit, in quem nomina accipientium, & Ecclesiarum, pro quibus dantur, referri debeant.

Sacra Cathecumenorum, & Chrismatis olea, quibus

bus baptizandus inungitur, vasculis item argenteis, vel stanneis asseruentur, inter se quidem coniūctis; sed signo, & literis expressis, quibus distinctè olea dignoscantur; custodiantur autem prope fontem baptismalē, vt dictū est, adeò diligenter, vt ad alterius, quàm sacri ministri manus, non possint deuenire.

Deficientibus sacris hisce oleis, nisi aliundè possint haberi; ex præscripta Canonis ratione, consecratis, non consecratum immisceatur: id tamen caueatur, vt quod infunditur, minus consecrato semper sit.

Prospiciant demùm ministri, ne dum sacer baptismus celebratur, à quopiā laycorum sacra olea quoquo modo attingantur: nec permittant sal exorcizatum, albulam, & candelam, seu si quid aliud ad Ecclesiam delatum fuerit, quod in ea administratione deseruiuerit, vel fuerit adhibitum, domum reportari, aut infanti aliquid superponi, quod superstitioni, vel nefario vsui inseruire possit. Meminerint autem ipsi ministri, quotiescunque sacra olea tetigerint, vt manus abluant, & lotionis aquam in sacrarium infundant.

In Confirmatione.

cap: xiij

LICET Confirmationis sacramentum non eiusmodi habeat necessitatem, vt sine eo saluus quis esse non possit; curabant nihilominus Parochi, ne fideles eo diuinæ gratiæ munere, cuius à Domino institutum fuit, ipsorum negligentia diu careant.

Singulis annis festo appropinquante Pentecostes. quo tempore hoc sacramentum solet ministrari; & alias,

alias, quam illud per nos erit miniſtrandum, illius naturam, vim, vſum, dignitatem ex Cathechiſmo Romano piè, prudenterq; populis explicent.

Studeantq; vehementer, vt qua fieri poſſit maiori puritate, fide, ac religione, ad illud ſuſcipiendum omnes accedant. Curentq;, vt adulti pręſertim, intelligant, ſe huius ſacramenti gratiam conſequi non poſſe, niſi grauia, quæ admiſerunt, peccata, ritè prius cõfiteantur; aut ex animo ſaltem sũmoperè doleant.

Atque etiam pertinere ad huius ſacramenti dignitatem edoceant, laudabilem illam antiquioris Eccleſiæ conſuetudinem, vt ieiuni, quando id commodè fieri poſſit, ad illud accedant.

Nec non expedire, vt pueris, ſeptennium ſaltem attingentibus, rationiſq; vſu præditis; non autem minoribus miniſtretur.

Alienæ Diœceſis hominibus, niſi vel conſtitutum iam habeant in hac Diœceſi domicilium; vel proprii Epiſcopi aſſenſum oſtendant, nequaquàm cõfertur.

Ab hoc ſacramento arcendi, ſunt tum ii, qui baptiſmum non ſuſceperunt; tum qui Chriſtianæ fidei rudimenta pęnitus ignorant; tum ii, qui vel excommunicati, interdicti, vel grauioribus facinoribus ſunt alligati.

Suſcepturi hoc ſacramentum, religioſè in Eccleſia maneant; & ſine ſtrepitu, vel confuſione diſponantur, viri ſeparati à mulieribus.

Nec mares ad fœminarũ, neuè fœminæ ad mariũ, aut pueri, impubereſq; ad maiorũ natu Cõfirmationẽ patrini adhibeãtur; nec ii, qui in eiuſdẽ baptiſmo, ſeu Cathechiſmo hoc ipſo munere perfũcti fuerint; nec ii itẽ, qui adhuc hoc ſacramentũ nõ ſuſceperũt.

Parentes ne filios teneant; neque vir vxorem, vel contra; vetitumq; sit hoc susceptionis munus, quibus in baptismate nõ licere pariter esse patrinis, iam declaratum fuit.

Vnus, vel vna in hoc sacramẽto teneat; qui sit ipse prius confirmatus; & nemo plures vno, vel duobus, eodem die suscipere permittatur, nisi ex necessitate.

Patrinus dextero brachio puerum confirmádum teneat, offeratq; Episcopo ministranti; si verò oblatus sit ætatis adultæ, pedem dexterum ponat super dexterum patrini pedem.

Curent parochi, vt confirmandi lineas victas, seu fascias mundas, quibus eorum frontes post confirmationem ligentur, secum deferãt; edoceantq; eos, non prius fascias, seu victas esse deponendas, quàm Chrisma vel fuerit desiccatum, vel à sacerdote diligenter extersum; tuncq; fascias ipsas igni ad comburendũm esse tradendas.

Conc. Tr. Sess. 24. de ref. matr. cap. 2.

Docendi item fideles sunt eandem in hoc sacramento, quæ in baptismo contrahi cognationem; à qua matrimonium inter susceptores, & confirmatum, eiusque parentes impeditur, & dissoluitur.

Graue item committi sacrilegium, si à quopiam iterum suscipiatur; sicut non leuiter peccari, si negligenter omittatur; quare parentes, & susceptores pueros in tenera ætate confirmatos, eius pręstitæ rei, cum grandiores fuerint, sæpius admoneant, ne id repetentes, mortifero se scelere obstringant.

Ex confirmatis nemo ex Ecclesia antè recedat, quàm absoluta penitus confirmationis administratione, episcopalem benedictionem acceperit.

Pręcipitur confirmatis, & eorum parentibus, vt

infra

infra octo dies post susceptam confirmationem proprium adeant Parochum; qui confirmatorum, parentumq; nomina, & cognomina, nec non compatrum, seu cõmatrum; Episcopi item ministrantis, nec non diem, annum, atque locum in librum ad hanc rem comparatum ordine alphabetico (ita tamen, vt mares à fœminis seiuncti notentur) referat, iuxta exemplum in fine harum constitutionum traditum.

In almo Eucharistiæ Sacramento.

cap. XIV.

QVOD ad sanctissimum Eucharistię sacramentum attinet; Parochi partes erunt, fideles ad sacram hãc, diuinamq; animarum refectionem, saltẽ in Resurrectione Domini, Natali, Pentecoste, aliisq; solennioribus diebus frequentandam sępissimè adhortari; & ex Cathechismi Romani doctrina explicare, quàm amplissima sint diuinę gratiæ munera, quę ex eius religioso, ac sacro vsu consequi valent; olimq; fuisse tempus, cùm, quicunque Christianam fidem profiterentur, quotidie Eucharistiã sumerẽt.

Sed cùm denique caritas, & pietatis studium refrigescere omninò cępisset; in Lateranensi Concilio sub Innocentio III. decretum fuisse, vt semel ad minus singulis in annis in Paschate fideles omnes, rationis compotes, sacrum Domini Corpus manducarent. Qui autem id facere neglexisset, tam viuus, quam mortuus ab Ecclesia arceretur; cuius decreti verba vulgari sermone reddita, Parochi intra missarũ solennia, Dominica prima Quadragesimę, & Palmarum, populo quotannis sub arbitrii nostri pœna recitare nequaquam omittant; ad conceptam ver- c. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.

borum formam in fine pręſentis Synodi explicatam.

Prædicti porrò Canonis facta publicatione, vniuerſos, & ſingulos ſuę curę commiſſos, qui ad annos diſcretionis peruenerint, & ex Eccleſiæ præcepto ſacram in Paſchate Euchariſtiam ſumere tenentur, diligenter, & quàm primum deſcribant.

Illam verò Paſchali eo tempore ne cui miniſtrēt, niſi qui ſibi, aut alii probato confeſſario ſit confeſſus; cuius confeſſionis teſtimonium ſcriptũ afferat.

Cùm in propria quiſque Parochia Paſchę tempore, quod à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis profertur, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere teneatur; Parochi nulli facultatem concedant, vt eo tempore alibi, quàm in propria Parochiali Eccleſia eiuſmodi Sacramento reficiantur, etiam ſi in Cathedrali Eccleſia, aut in aliqua confraternitate, in qua deſcriptus eſſet, id peragere vellet. Qui abſque cauſa legittima per nos, vel Parochum comprobanda, tunc extra Parochiam communionem ſuſceperit, pro non communicato habeatur.

Aduenæ, peregrini, & mendicantes, qui domicilium certum non habent; in Cathedrali Eccleſia (ſi in vrbe ſint) vel in digniori Parochiali, ſi in Diœceſi, ſacram ſumant Euchariſtiam; eorumq; nomina, cognomina, ac patria in libro ſcribantur, vt eius rei pręſtitæ ſcriptum teſtimonium ad Parochum ſuum perferendum detur, ſi petierint; maturè tamen, & conſideratè videant, quem admittant.

Parochus ab eo, qui paſchali tempore abfuerit, cum primùm redierit, confeſſionis, & Communionis ſcriptum teſtimonium ordinarii loci ſigno, vel alio noto munitum requirat; quo non dato, &, niſi

con-

confessus, in propria Parochia cęlesti cibo reficiatur, cum iis, qui eiusmodi Ecclesiæ præcepto non satisfecerunt, annumeretur.

Horum, & aliorum non obtemperantium nomina Parochus ad Episcopum, seu generalem Vicariū post octauam Paschatis, scripto deferat; expositis etiam caussis, si quas extra confessionem nouerit; atque interim vna pro trina monitione illos generaliter admoneat, nisi in proxima hebdomada paruerint, tum viuos ab Ecclesiæ ingressu; tum mortuos Ecclesiastica sepultura priuandos; scriptoq; ad valuas, tam Cathedralis, quàm proprię Parochiæ affixo, interdictos denunciandos; id quod, si expedire videbitur, nulla facta alia significatione, aut mora exequi mandabimus; & si in ea cecitate permanserint, contra eos iuxta formam iuris, & sanctorum canonum grauius procedemus.

Vt Parocho exploratiùs esse possit, quibus Paschali tempore in propria Ecclesia sacram Communionem ministrauerit; Dominica in Palmis populares præmoneat suos, vt, cùm ad Dominicam mensam accesserint, schedulam, in qua cuiusque nomen, cognomen, & domicilium descriptum sit, in promptu habeant, Clerico, aut alteri ipsius Parochi mandato tunc exhibendam; qua collata cum descriptione animarū confecta, facile fiet, vt qui satisfecerint, ab aliis internoscantur; aut ipsi Parochi, vel alius eorum nomine, singulis, antequàm à sacra mensa discedant, notam aliquā instar sigilli, Ecclesiæ, vel Rectoris ipsius insignia præseferentis, porrigant, quam post octauā Paschatis diligenter ab vnoquoq; exigant, & cui eā deesse cōpererint, pro non communicato habeant.

Publici

Publici cōcubinarii, fœneratores, blasphemi, coniuges ſeparatim, ſine cauſa ab Ordinario, ex ſacrorū Canonum præſcriptione approbata, degentes; atque huiuſmodi infames, & alii facinoroſi homines, manifeſtiſq; criminibus, & flagitiis illaqueati, quàm diu in peccatis perſeuerent, ad ſacram Communionem non admittantur; nec vlla factæ cōfeſſionis atteſtatio iis ſuffragetur, donec alias ritè ſatisfeciſſe conſtet.

Quòd ſi eos pœnitentiam legitimè peregiſſe, peccatiſq; iam nuncium remiſiſſe intellexerint; atq; ob id ſemel ſacrę menſæ participes fecerint, poſtea verò ad eadem ſcelera rediiſſe cognouerint, ne iterum illos Parochi recipiant, niſi poſtquàm ſufficienti temporis probatione, & aliis indiciis eos vitam, moreſq; verius ex animo, ac re ipſa emendaſſe, compererint.

Pueris item non dum ratione vtentibus Euchariſtiam adminiſtrare non conuenit; at quoniam ætas certa, qua eis ſacra miſteria danda ſint, conſtitui non poteſt; caueant Parochi, ne prius præbeant, quàm explorauerint, eos huius admirabilis ſacramenti cognitionem aliquam, & guſtū habere; orationemue Dominicam, Salutationem Angelicā, Apoſtolorū Symbolū, Decalogū, & confeſſionem non ignorare.

Amentibus prætereà, & ratione deſtitutis, ſiue id naturaliter, ſiue ex demonum obſeſſione patiantur; quia tunc à pietatis ſenſu alieni ſunt, ſacramentum hoc dare minimè oportet; quamuis, ſi antequàm in inſaniā inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præſetulerunt. Moribundis tamen Euchariſtiam adminiſtrare licebit, modò vomitationis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timeatur.

Illud

Illud à Parocho omni ſtudio curandum eſt, vt fideles intelligant, quanta veneratione, animi puritate, ac pietate ad tremendum illud Euchariſtiæ ſacramentum (in quo Dominicę Paſſionis memoria recolitur) accedere debeant; quantaq; illis ſupplicia parata ſint, qui indignè ſuſcipiunt.

Quare omnes hortandi ſunt, vt demiſſo vultu, & humili veſtitu, omniq; armorum genere depoſito, pœnitentiam, & animi ſubmiſſionem præſeferant: mulieres item fucatæ, & ſtudioſius, quàm par eſt, ornatæ, ſi alias pręmonitę non paruerint, reiiciantur.

Viri ſeparatim à mulieribus communicentur, vbi id Eccleſiæ amplitudo patitur; & purificatio non in calice, ſed in aliquo vaſe vitreo, vel criſtallino decenti, quod alii non deſeruiat vſui, laicis præbeatur.

Diuerſa domicilia habentes, nempè in Vrbe, & Diœceſi, ſi adueniente Paſchate ab eo loco diſcedũt, vbi, vt plurimum, habitare ſolent; ne vtrumque Parochum decipi contingat; ſancimus contra eos procedi, ac ſi verè communionem nõ ſumpſerint, ni cùm primùm redierint, ſchedulam obſignatam illius Parochi manu ſcriptam deferant, quæ eos Eccleſiæ pręcepto ſatisfeciſſe teſtetur.

Ne occaſione ſacræ Cõmunionis in Paſchate, vel alio tempore miniſtratæ, ſeu miniſtrandę, ob eleemoſinam burſa, ſeu peluicula exponatur, aut circumferatur, ſub pęna ſuſpenſionis à diuinis; ſin autem gratis aliquid oblatum fuerit, ſeu in Altari, vel alibi relictum, recipi non prohibetur.

In Cathedrali, Collegiatis, & aliis omnibus Eccleſiis Parochialibus ſanctiſſima Euchariſtia, veteri, & approbato Eccleſiæ inſtituto, tum ob quotidianam eius Cõc. Trid. ſeſſ. 13. de sãct. Euch. ſacr. c. 6.

eius adorationem, tum pro necesſitate crediti gregis, aſsiduè aſſeruari iubemus, ſub pœna decem ſcutorum.

Et ea propter cuſtodiam ligneam aptam, vndique decenter ornatam, ſuper Altari maiore, vel alio Ecclesię honeſtiori loco perpetuò collocatam habere.

Hanc cuſtodiam pãno ſerico rubri coloris intrinſecus vndique circumueſtiri; extrinſecus, pro Eccleſiarum facultate inaurari, vel pingi; decentiq; conopeo, vel papilione cõtegi; tuta, ac fida claue benè aurata, cum cordula ſericea filis aureis commixta, ac flocculo rubei coloris pendente, reſerari; itaque aptam eſſe, vt inde ſanctiſsimum Sacramentum commodè poſsit depromi.

Quæ altitudine, ſiue longitudine cubitis duobus cum dimidio; latitudine verò, vno cubito cum dimidio, minor non ſit.

Vacua præterea ſemper ſit à reliquiis, vaſculis ſanctorum oleorum, atque omni alia re; in eaq; ſacra dumtaxat Euchariſtia conſeruetur; quæ quidem nõ in pede, aut alia parte inferiori, ſed in ſuperiori, & eminentiori ipſius cuſtodiæ ſemper recondatur; ſub ipſaq; nullum armariolum ſit, neque ſupellex ſacra; nec libri, nec quid aliud reponatur.

Super altari firmiter, grauiterq; collocetur; ne facilè validis impulſionibus è loco amoueri poſsit. Altare verò, in quo ſacramentum aſſeruatur, cancellis, vbi non ferreis, ligneis ſaltem decentibus circum ſepiatur; niſi aliud Epiſcopo iure meritò videatur.

In planicie intrinſeca tabernaculi, ſupra quam pixis collocanda eſt, pars aliqua corporalis munda ſub ſternatur.

Vnaquęque

Vnaquęque Parochialis Ecclesia duas habeat pixides; alteram forma maiori, si non argenteam, æream saltem, vndiq; deauratam, ad vsum sacrę Cõmunionis ministrandæ: In qua semper, & nunquàm in calice, aut patena ministretur; & pro viatico ad infirmos deferendo; cum qua decens velum, vel conopeolum sericeum rubri, vel albi coloris habeatur, cũ opus erit, adhibendum; quę sit adeò capax, vt tot particulas cõtineat, quot cuiq; Parocho satis sint ad totum suæ Parochię communicandum populum; modò centesimum numerum non excedat; minori alteram, quæ semper in tabernaculo permaneat; nequando accedentes adoraturi decipiantur.

Pixis quęlibet nitidi corporalis intrinsecus vndique circumuestiatur.

Quinque saltem particulę consecratæ assiduè seruentur; quæ octauo quoque die ex Hostiis, non antè viginti dies confectis, renouentur; nec vnquam hostia magna, ibidem interdum asseruanda, in frusta diuidatur, vt quis laicorum sanus, vel infirmus communicetur; sed tantùm à Sacerdote sumatur, Missæ sacrum faciente.

In Ecclesia Cathedrali, & in Collegiatis illis, in quibus cura animarũ est penès Capitulum, vnus ex Canonicis eligatur, qui sit capellę, & tabernaculi præfectus, & custos; quique ea, quę ad tanti Sacramenti honorem, & administrationem pertinent, circumspiciat, & comparare faciat; idemq; fontis baptismalis curam suscipiat. In aliis verò ille, qui curę præest, claues, & clauiculas omnes sæpè speculetur; & obseruet, an vis aliqua, vel iniuria eisdem fuerit illata; statuatq;, vt tres lampades è regione Sacramenti per-

petuò ardentes retineantur ab iis, quibus hoc munus incumbit: Parochi verò vnam ad minus die, ac nocte lucentem habeant.

Curent, vt ſacris de mane peractis ſeptum illud ligneis, ſeu ferreis cancellis conſtructum, clauſum omnino maneat.

Vt decenter congrueq; hoc ſanctiſſimum Sacramentũ miniſtretur, in ſingulis Parochialibus Eccleſiis mappę puræ, lineæ, mundæ habeantur, oblongæ quidem aliæ, quę ſcamnis oblongis ſuperſternantur ad vſum generalis Communionis; aliæ verò breuiores, quæ tunc tantùm adhibeantur, cùm vel pauci ibi, aut infirmi domi hoc ſacramento reficiuntur.

Eos, qui raro ſua peccata confitentur, ne communicent Parochi, niſi aliquot dies à confeſſione interceſſerint; vt poſteà denuò confeſſi ea, quę in memoriam redierint, & interea peccauerint, mundius ad hanc puriſſimam, ſanctiſſimamq; menſam accedant.

Cùm ægrotis erit miniſtrandum viaticum, id vel ab ipſo Parocho, vel de eius licentia ab alio ſacerdote ad audiendas confeſſiones probato, deferatur; vt ſi ægrotus alicuius peccati ſibi conſcius videatur, ab eodem poſſit abſolui.

Intra mœnia ciuitatis, & oppidorum Diœceſis; alibi verò, vbi ægroti domus non longè diſtat ab Eccleſia, duæ ſemper particulæ geſtentur, ſi vnus tantum ſit communicandus infirmus; ſi autem plures ſint communicandi, tot deferantur, vt vna ſemper, infirmis communicatis, ~~ſuper~~ſit ad Eccleſiam reportanda; ita tamen quòd nunquam Eccleſia abſque aliqua conſecrata remaneat.

Si verò ad loca difficiliora, & longè diſtantia, aſpe

roue

roue tempore eundum fit; vel ſtatim poſt communionem, extrema Vnctio adhibenda, vnica tunc poterit geſtari.

Curetur, vt infirmi domus ſordibus, grauiq; omni odore mundata, & expurgata ſit, &, quantum fieri poſſit, ornata; ac propè ipſius lectum menſa, albiſſima mappa ſtrata, cum Cruce, ſeu pia aliqua imagine, candelabris, luminibus ex cæra, & vaſe vitreo parata.

Parochus cùm ſanctiſſimam Euchariſtiam ex Eccleſia efferre debet; antequàm efferat, & præcedenti etiam die veſperi, in pagis præſertim, populum ſigno campanę præmoneat, vt ad eam cum luminibus piè proſequendam frequens conueniat; tum deinceps induat cottam, & ſtolam, velumq; ſericeum, quo humeros, ac pixidem contegat; &, vbi haberi poſſit, & longa, ac incommoda via incedendum non ſit, pluuiale etiam albi coloris adhibeat; nec vnquam eam de ſanctuario ſine thuris honore extrahat.

Per ciuitatem, & oppida, ſub vmbella cum duabus, vel pluribus haſtis; ſi verò per Diœceſim, & loca anguſta, vel difficilia; ſaltem ſub minore vmbella in orbem, vno tantum haſtili ſubducta, procedat.

Et vt illa tutius per loca difficilia deferatur, vaſculum paruulum argenteum rotũdum, ad hunc vſum tantum paratum, cum particula introcluſa in ſacculo ſerico recõdatur; qui pariter cordulas ſericeas habeat, quibus collo ſacerdotis deferentis appendatur.

Præeatq; clericus, ſuperpelliceo, (vbi commodè fieri poſsit) indutus, librum ritualem cum aqua benedicta ferens; nec non pannum lineum ante infirmũ, dum ei ſacra hoſtia præbetur, ponendum; & cor

porale sternendum super mensa, vbi sacramenti vasculum reclinādum erit, donec ea compleantur, quę ad infirmi pręparationem pertinent: Clericusq; ipse campanulæ sono fideles ad orandum præmoneat; sacerdos verò incedens, psalmos, & alias pias preces religiosè interim pronunciet.

Sacerdoti sacram Eucharistiam gestanti, quicunque obuiam fiat, flexis humi genibus tam diu in oratione permaneat, dum ille transierit; &, nisi valdè occupatus sit, pia veneratione prosequens comitetur.

Cùm ad ægroti thalamum peruentum erit, sacerdos pacem adstantibus annunciet; & deposito super parata iam mensa sanctissimo Sacramento, eoq; reuerenter adorato, personas, & locum aqua benedicta aspergat; pręscriptas in rituali preces adhibeat, &, facta generali confessione, sacrum viaticum infirmo porrigat; digitos deindè abluat super poculo, quod pro oris purificatione eidem propinetur; cōpletisq; super ipsum reliquis orationibus, salutaribus deniq; verbis moneat, vt diuinam in se ipse gratiam studeat custodire.

Antequam tamen ad ægrotum communicādum Parochus accedat; exploret, an aliquę sint causæ, quamobrem sacrosanctum viaticum sumi ab eo nō possit, aut non debeat: iisq; cognitis, non erit, cur ad eum afferri conueniat.

Quando verò ob improuisum vomitum, vel ex alia ægroti praua affectione sacramentum non videatur ei exhibendum, tunc religiose adorandum proponatur.

At ægrotantibus, qui ob ademptam loquendi facultatem, sua nequeunt explicare peccata, si pias antea

tea dederunt animi significationes, sacrum viaticum præbeat; licet is, qui signo saltem, vel nutu peccatum aliquod non aperuerit, nullo modo sit sacramentaliter absoluendus.

Si vnam tantùm particulam ad ægrotum attulerit, ibidem indulgentias sacramentum comitantibus concessas annunciet; atque in reditu, superpelliceo exutus, sine tintinnabulo, & vmbella, luminibus quoque extinctis ad Ecclesiam, nullam tamen in via facta mora, clanculum vas reportet.

Sin duas, vel plures; quo ordine se cõtulit, eodem reuertatur; & omnibus, qui sacramentũ fuerint prosecuti, indulgentias hac de causa promulget, ipsisq; demùm pixide, in qua sacramentum continetur, facto Crucis signo, benedicat; & eodem thuris honore eam in sanctuarium reponat; sed vt eo frequentior populus comes accedat, quadraginta dierum indulgentiarum auctoritate nostra ordinaria iisdem pręsenti decreto elargimur.

Sanctissima Eucharistia orationis quadraginta horarum causa, nunquàm Episcopo, aut Vicario generali inconsulto, publicè exponatur; qui verò graui de caussa id impetrauerint, curent, vt id omne debito religionis cultu, ac decoro apparatu semper fiat; nec altare solum, vbi illa exposita erit; sed vniuersa etiam Ecclesia, si fieri potest, decenter exornetur; super eodem altari, sex minus cęrei perpetuò ardeant, pręter alios, & lampades, quæ circa ipsum collucere solent.

Si in Cathedrali eiusmodi oratio fiat, vniuersus vrbis Clerus secularis, sodalitates, cũctusq; populus in suas classes distributus, per horam sibi assignatam, vt

moris

moris est in secunda feria maioris hebdomadę, adoraturi piè conueniant; diurnis horis, solę mulieres; vespere, & per totam noctem, viri, exclusis omninò fęminis; semper autem duo, vel vnus ad minus Clericus sacris initiatus, superpelliceo indutus in assidua precatione custos ad altare assistat. Quæ quidē omnia, vt in aliis etiam locis, & Ecclesiis, quo ad eius fieri possit (ne in aliquo sacrę huiusmodi actioni fiat iniuria) præstanda esse decernimus; laici verò quaruncunque sodalitatum, sacco etiam induti, ad huiusmodi ministerium nunquam admittantur.

Feria verò quinta Cœnæ Domini in omnibus Ecclesiis, præsertim Parochialibus, & baptismalibus, vbi decenter fieri possit, eodem, qui supra præscriptus est, religionis cultu, luminum, & ornamentorum apparatu, ac clericali custodia adhibita sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum in ipsius templi sacello, seu alibi (dummodò intra templi ambitum) sacro aliquo vase, vel arcula fidelibus adorandum vsque in Parasceue proponatur; noctu, vbi custodum copia desit, consueto tabernaculo benè clauso recōdatur.

Cęterùm, vt cultus diuino huic sacramento in dies maior à populo deferatur; curent omni studio Parochi, vt eiusdem sacramenti sodalitas, in qualibet Parochiali Ecclesia erigatur, instituanturq; iuxta Bullæ fel. rec. Pauli Tertii super erectione eiusmodi societatum editæ præscriptum, & mense quolibet sanctissimum Christi Corpus processionaliter circunferatur.

Incip. Dominus noster edit. Cal. Decēbris 1539.

In sacra-

In sacramento pœnitentiæ.

Cap. XV.

QVOD Pœnitentiæ sacramentum tanquam secunda tabula, atque vnicum post amissam baptismi innocentiam, præsidium à Christo Domino institutum, maximam habeat necessitatem, illud vel præcipuè declarat, quòd nō semel, vt baptismus; sed quoties peccare contingat, iterandum est.

Ideo Parochi partes erunt, tum summam hanc necessitatem, tum etiam vberrimum, qui ex eo percipitur, fructum, fidelium mentibus sæpissimè inculcare, vt qua maxima fieri potest animi præparatione, ad hoc sacramentum accedant.

Sed ne qui vis Sacerdos, siue secularis, siue regularis huius sacramenti ministerium temerè sibi assumat; Tridentini Concilii Decretis inæhrentes, sub pœnis sacrorum Canonum, & aliis arbitrio nostro statuendis, mandamus, ne quis in ciuitate, vel Diœcesi Arretina confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire presumat, nisi aut Parochiale beneficium obtineat; aut ab Episcopo, seu eius Vicario generali, preuio examine scripto fuerit approbatus: quam sanè absoluendi potestatem iis tantùm fieri volumus, qui ad id muneris idonei iudicabuntur. Sess. 23. c. 15. de ref. gener.

Regulares autem, aut alii Sacerdotes, qui ignoti fuerint, ad examen non admittātur, nisi suorum preterea superiorum literis, quæ de recenti factæ fuerint, & de vita, & moribus ipsorum, aliisq; requisitis testimonium præbeant, commendentur.

Ii vero siue sacerdotes seculares, siue regulares sint à casibus, quos superioribus annis nobis reseruauimus,

Conc. Tridēt. ses. 14. cap. 7.

uimus, & quos in posterum reseruare placuerit sine debita facultate quemquam absoluere non præsumant, alioquin eos, ex nunc pro vt ex tunc à sacramento pœnitentiæ administrando suspendimus; excepto tamen mortis articulo, in quo nulla est reseruatio; atque ideò singuli sacerdotes à quibusuis peccatis, & censuris quoslibet pœnitentes absoluere tūc possunt; extra quem articulum sacerdotes cùm nihil posśint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

Sciant præterea tam regulares sacerdotes, quàm alii, nemini licere à casibus Ordinario reseruatis iure quorumlibet priuilegiorum, etiam Maris magni, siue quouis laicorum sodalitatis, vt Rosarii, Nominis Dei, Conceptionis, & aliarum, quempiam absoluere, nisi in specie super huiusmodi casibus nominatim facultas data, aut confirmata sit à sede Apostolica post Concilium Tridentinum, vt sępius sacra Congregatio eiusdem Concilii interpres censuit, & declarauit.

Nouerint item, cùm summus Pontifex Iubileorum, aliarumue Bullarum gratia facultatem absoluendi à reseruatis, aut eligendi confessariū, qui posśit absoluere, impartitur, eam non extendi ad casus Ordinario reseruatos, nisi id specialiter fuerit expressum.

Illud etiam animaduertant, ne ratione earumdem literarum, cum iis, qui irregularitatis notam contraxerunt, dispensare audeāt; aut vota commutare; nisi nominatim dispensandi, aut vota commutandi potestas concessa sit; quæ sub generali authoritate absol-

uendi

uendi ab omnibus casibus, & censuris non continetur; quapropter literas, quarum vi pœnitentes absolui valent, vt debent, diligenter, accurateq; perlegant, nec quicquam, contra quàm præscriptum est, cum propria, aliorumq; pernicie faciant.

Sacerdos ad cõfessiones audiendas accersitus, meminerit (quod in rituali sacramentorũ admonetur) tam pro suis, quàm pro fidelium, quorum confessiones auditurus est, delictis ex præscripta ibidem forma, orare: summa igitur conscientiæ puritate, pariq; caritate pro solius Dei gloria, & animarum salute; non autem vlla inani ambitione, curiositate, aut auaritia ad tantã sacramenti administrationem accedat. Cętera item omnia quàm diligentissimè præstet, quę tum in ipso rituali, tum in his constitutionibus, pro recta huius sacramenti administratione obseruanda adnotantur.

Curet prætereà confessarius, vt quàm citissimè se à fœminarum, & puerorum confessione expediat; eas nunquàm audiat, quæ velato capite, obtecto pectore, & modesto habitu indutę non sint; mares verò, qui prius arma, cristatosq; galeros non deposuerint, nequaquàm admittat.

Cumq; ætas, qua pueri confessionis lege obstricti sunt, certo aliquo annorum numero definita nõ sit; sed vniuersè statutum, ab eo tempore pueris indictum esse, cùm inter bonum, & malum discernendi vim habent, in eorumq; mentẽ dolus cadere potest; inducendi tamen sunt, vt antè discretionis annos sępè ad pedes confessorum accedant, vt cõfessioni incipiant assuescere; tuncq; cauendum est confessariis, ne plures simul, & coniunctim audiant, vt aliquan-

do factum eſt; cùm ſacramento iniuriam faciat, qui eo ad riſum, & iocum abutitur.

Confeſſarius, ſi ſacerdos ſecularis fuerit, ſuperpelliceo, ſtola, clericaliq; bireto; ſin regularis, integro eius habitu, quem in proceſſionibus, & aliis actibus publicis geſtare conſueuit, indutus, laicorum confeſſiones excipiat; idque in Eccleſia in ſedibus confeſſionalibus loco conſpicuo collocatis obeat, nunquàm tamen ante ſolis ortum, aut poſt occaſum, mulierum, ſeu puerorum confeſſiones, niſi ex neceſſaria cauſa audiat.

Sedium autem forma ea ſit, vt ex tabulis ab vtroq; latere, à tergo, & à parte ſuperiori ſeptæ, & circumtectę ſint; diſtincta ſint loca, vbi confeſſarius ſedeat & vbi pęnitens genua flectat; interpoſita inter hũc, & illum tabula, in quo feneſtrella ſit, cui adhereat ferrea, ſeu lignea cratis, vel lamina ferrea minutim perforata à parte confitentis, pia aliqua imago affixa ſit; à parte verò cõfeſſarii Summarium Bullæ Cœnę Domini, & caſus Epiſcopo reſeruati, cum forma abſolutionis, ſedibuſq; ipſis portula lignea, ad mediam hominis ſtaturam apponatur, & claue claudatur, ne cuiquam in æſtate, vel alio tempore ad dormitionem deſeruiant; locuſq; pœnitentis ad ſiniſtrum confeſſarii latus habeatur.

Totq; ſedes ad præſcriptam formam fabricatæ in vnaquaq; Eccleſia habeantur, quot in ea fuerint Sacerdotes ad audiendas confeſſiones admiſſi; vtq; facilè quiſq; intelligat, qui huius tam neceſſarii ſacramenti probati miniſtri ſint; eorum nomina in tabella in loco ipſius Eccleſię, conſpicuo aſſiduè retinenda deſcribentur.

In

In priuatis autem ædibus non nisi ægrotantiũ confessiones audiant confessarii; &, si mulieres sint, apertis ianuis, vt conspici quidem posśint; non autem exaudiri.

Licebit tamen pœnitẽtiario in improuisa casuum quorundam absolutione, vbi commodè ad Ecclesiam adire non posśit, intra priuati, vel oratorii, vel cubiculi parietes suo munere perfungi.

Quando ægrotorum confesśiones audierint, scriptum testimonium de audita confesśione, & impertita absolutione faciant, medico exhibendũ; ad quod teneantur etiam regulares, qui tamen, inscio proprio Parocho, ne in alienas Parochias inuadant, nisi periculum mortis instet; quo casu deinceps quàm primùm id Parocho significent.

Medicos intra Missarũ solennia admoneãt quandoque Parochi, vt ab ægrotorũ decumbentium curatione post triduum abstineant, nisi peractę confesśionis testificationem scriptam videant; aut scripto Parochi inditio sibi constet, confesśionem in alium diem meritò fuisse differendam; tum grauisśimas ipsis pœnas in constitutione hac de re à Pio Quinto edita contentas edicant. Incip. supra gregẽ edit. Die 8. Martij 1566.

Confessarios verò, qui absque rationabili causa ægrotis faciendę confesśionis tempus prorogarint, ne cum alienæ salutis periculo nimium faciles in eo se præbeant, à confesśionibus audiendis pręsenti decreto suspendimus.

Medicos verò, qui propriæ salutis infirmorumq; spiritualis curationis immemores, post diem tertium ægrotos non confessos, aut quibus confesśionis tempus probatus confessarius non distulerit, inuiserint,

ipſo facto, ingreſſu Eccleſiæ interdictos declaramus ad præfatę conſtitutionis præſcriptum, cuius pœnę, vt aliarum eadem ſanctione conſtitutarum, eoſdem medicos ſæpè moneant Parochi.

Humaniſsimè ſuſcipiat ſacerdos pœnitentem, & congrua precatiuncula adhibita, nempè Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, vt dignè, & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris † & Filii, &c. præbeat prudenter ille fiduciam, omnia, vt ſibi peccatorum vulnera aperiat; & nullo verecundiæ impedimento teneatur; doceatq; eum non hominis, ſed Dei iudicio ſubiici ſe iudicandum.

Exquirat autem primùm, an in pœnitentem iuriſdictionis ordinarię, ſeu delegatę poteſtatem habeat; tum deinde, an aliquo excommunicationis, aut grauioris ſceleris vinculo pœnitens obſtringatur, ob quod ſit ad ſuperiorẽ pro abſolutione remittendus.

Eos qui ſanctę Crucis ſignum ſibi facere neſciunt, ne pigeat docere; & quos dubitare poteſt, an ſciant, moneat, vt Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & Decem Præcepta Dei, ipſo audiente recitent, ignariſq;, ſatisfactionis loco imponat, vt primo quoque tempore addiſcant.

Inueſtiget deinde conditionem, & ſtatum pœnitentis, vt aptius eius peccata inquirere ſciat. Ex quo duo neceſſariò pernoſcenda ſunt; alterum, an in ſtatu peccati mortalis verſetur, in eoq; perſeuerare intendat; alterum, an ex aliqua domeſtici, ſeu alioquin iugi occaſione ad peccandum prouocetur, & recidiuum patiatur; quorum vtrunque, niſi à ſe remouere velit, non eſt, quòd vlterius in confeſsione progrediatur.

Maximè

Maximè item obſeruabit, ſi debitam in perueſtigandis ſuis ſceleribus curam, & cogitationem poſuerit; habueritq; in animo omnia mortalia peccata, quę admiſit, in memoriam reducere, & an ea oderit, & deteſtatus fuerit; vitæq; emendandæ ſtabilem cogitationem ſuſceperit; hiſq; voluntas coniuncta ſit, tum confitendi, tum ſatisfaciendi.

An alicuius rem, dignitatem, aut vitam dicto, factoue violauerit, ac debita compenſatione emendare ea propoſuerit; quicquidue iniuriarum ab altero acceperit, id totum remiſſum, & condonatum eſſe velit.

Et quem furto, rapina, vſura, aut fraude, alienum abſtuliſſe, aut iniuſtè poſſidere vel falſo teſtimonio proximum lęſiſſe, aut alias de exiſtimatione proximi detraxiſſe repererit, non abſoluat; niſi ſe, (quatenus eius facultates permittunt) reſtituturum promiſerit, ſatiſq; , cui debet, facturum; id quod ſeruet cum iis, qui decimas, vel legata ad pias cauſſas facta non perſoluunt.

Illos autem, quibus vt ſatisfacerent, vel reſtituerent, aliàs à Confeſſore iniunctum fuit, prętare tamen cùm potuiſſent, neglexerunt, nullo pacto ante debitam ſatisfactionem iterum abſoluat, niſi graui morbo laborent; & tum moneat, vt quàm primùm, quod debent, perſoluant, etiam, vbi opus ſit, idonea adhibita ſponſione.

Illos, qui ſcelera ſua excuſatione aliqua, vel defendere, vel minora facere nituntur, humaniter reprehendat, atque commonſtret, hoc elati eſſe animi ſignum, & hominis peccati ſui magnitudinem vel deſpicientis, vel planè ignorantis.

Intel-

Intelligat demum peccatorum numerum, & circunſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, internoſcendas, & interrogandas eſſe; ita tamen, ne omnia ab omnibus exquirat; ſed quæ cuiuſque conditioni conueniunt; maximè verò in adoleſcentibus, & ſimplicibus animaduertendum eſt, ne nouæ cupiditatis, aut criminis antea intentati, occaſionem præbeant.

Hæc, & reliqua ad hoc pœnitentiæ ſacramentum ritè adminiſtrandum ſpectantia facilè depromet cõfeſſarius ex ſummiſtis, & ex aliis libellis, hac de re editis; quorum ſtudio, & lectioni frequentiſſimè vacare debet, cùm de animarum ſalute agatur.

Quòd ſi pœnitentem, audita confeſſione, ita præparatum eſſe cognouerit, vt ipſum abſoluere poſſit; iniuncta ſalutari pœnitentia abſoluat; moneatq; , vt pro tam ſalutari beneficio, maximas Deo gratias agat, nullumq; patiatur eſſe diem, quin aliquid de paſſione Domini meditetur, ad eundemq; amandum excitetur.

Sin autem neque in excutienda conſcientia, aut enumerandis peccatis debitam diligentiam, neque in deteſtandis iuſtum dolorem, aut ab eis abſtinendi propoſitum habere diiudicauerit, conetur eum ad magnum contritionis deſiderium excitare, humaniſſimiſq; interim verbis à ſe dimittat, &, quod ſaluti eius videtur maximè neceſſarium, hortetur, vt aliquo ad recognoſcenda in amaritudine peccata, ſumpto ſpatio, deinde reuertatur.

Moneat etiam pœnitentem, ne in annum differat confeſsionem; cùm ob peccatorum turpitudinem, tum etiam ob varia, quæ impendent vitæ diſcrimi-

na,

na, eumq; maximè decere, ſi non ſingulis menſibus, vt ſaltem in maioribus ſolennitatibus Eccleſiæ confiteatur, ſimulq; diuinum Euchariſtiæ Sacramentum percipiat.

Cohortentur Parochi fideles ſuæ curæ cõmiſſos, ne illud S. Eccleſiæ præceptum confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ, in hebdomadam maiorem implere differant; ii præſertim, qui frequentius id præſtare non conſueuerunt; quos à quarta eiuſdem hebdomadæ feria ad tertiam vſque Paſchæ feriam, niſi morbo fuerint detenti, aut aliud habuerint legitimum impedimentum, à Sacramento pœnitentiæ arcendos eſſe decernimus: qua de re initio Quadrageſimæ ſibi ſubditos commonefaciant.

Caueant maximoperè cõfeſſarii etiam regulares, ne quid mercedis confeſſionis occaſione, voce, vel nutu, aut ſignificatione aliqua à pœnitentibus pro votorum commutatione (etiam tempore Iubilei) ſiue pro Miſſarum celebratione, aut alio quouis colore exigant, aut petant, alioquin, ſint ipſo facto ab audiendis confeſsionibus ſuſpenſi.

Neque item, ſub eadem pœna, quicquam, quod alteri reſtituendum ſit, accipiant, vel penes ſe deponi ſinant; dum aliter occultè reſtitutio fieri poſsit, nã tunc id recuſare non debent; hoc tamen ita cautè prçſtent, vt ab eo, cui reſtituerint, Chirographum accipiant, pœnitenti protinus reddendum: at ſi confeſſarius depoſitum ſibi detinuerit, aut vltrà triduũ ei, cui rogatus fuerit (ſi perſonæ copia habeatur) reddere malitioſè diſtulerit, eo ipſo ſuſpenſionis pœnam ſubeat.

Satis-

Satisfactiones peccatorum grauitati respondentes, vt incontinentibus ieiunium, auaris eleemosinas, blasphemis orationem, sapienter iniungãt; quò semper confitentium vitia contrariis virtutibus compensentur, & curentur: pecuniarias tamen parcè imponant, easq; nec sibi, nec Monasteriis, aut Ecclesiis suis dari patiantur.

Conc. Tridẽt. ses. 14. cap. 8.

Notos habere debent confessarii veteres pœnitentiales canones, vt ad eorum normam pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, quantum spiritus, & prudẽtia suggesserit, sese accommodent; ne si fortè in peccatis conniueant, & indulgentius cũ pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Vtilissimũ proindè erit, vt Parochi ipsos canones populo interdũ referant, vt scelerũ grauitatem, & Ecclesię benignitatẽ in mitigãdis illis pœnis tãto maiori animi dolore, & cõtritione cõpensandã agnoscat.

Sess. 24. c. 8. de ref. gener.

Quandò (vt ex Apostolo docet sac. Tridentinum Concilium) ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosq; fuisse, non sit dubitandum; huic condignam, pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet, vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam.

c. Omnis de pœn. & remiss.

Hoc tandem confessariis maximè cauendum est, ne, quod in confessione audierunt, vllo verbo, vel signo, vel nutu, alioue modo detegant, aut peccatorem prodant; alioquin, grauissimis veterum canonum, & aliis arbitrio nostro pœnis plectentur.

In extremo

In extremo Vnctionis Sacramento.

cap. XVI.

NE hominibus ex hoc iam ſęculo demigraturis extremum ſpiritum agentibus, deeſſet ſalutare aliquod in Eccleſia auxilium, clementiſſimus, idemq; benigniſſimus Redemptor noſter hoc Sacramentũ inſtituit, quo finem vitæ, tanquàm firmiſsimo quodam pręſidio muniret, noſq; ad ſpem cęleſtis patriæ conſequendæ, veniæq; peccatorum, quę hoc Sacramento promittitur, obtinendę, excitatos animaret.

Quare de eo à Parochis intra Miſſarum ſolennia, ad fidelis populi eruditionem ſæpius tractari mandamus; his potiſsimum de cauſsis, quæ in Cathechiſmo Rom. traduntur; Ex cuius doctrina optimam illud explicandi rationem pariter petant; ſicut in eo adminiſtrando, ritum, cęremonias, & alia in rituali præſcripta, & ſequentibus decretis ſancita, penitus obſeruent.

Aegrotos Parochi, etiam non vocati, oportunè viſitare non prætermittant, eoſq; tum ad ſalutare pœnitentiæ Sacramentum, ſacrumq; viaticum ſumendum ſeculò inducant; tum verò antequam ſermonis, & ſenſuum vſum amittant, ſacro oleo inungi curent, ne deinde ingraueſcentis morbi vi de gradu mentis deturbati, ſacras præparationes, quæ ad ſingulas vnctiones adhibentur, ignorent, reſpuant, ac contemnant.

Sin autem ægrotus prædictis Sacramentis muniri, & ex perpetua Catholicę Eccleſiæ conſuetudine ad ea ſe præparare, aut ea fortaſſe petere non potuerit, vel ob loquendi, vel reliquorum ſenſuum vſum

amissum, sacro nihilominus oleo liniri debet, si dum adhuc integris esset sensibus, vsumq; rationis haberet, aliqua pœnitentiæ signa ostenderit, & eam piæ voluntatis significationem dederit, vt meritò erga hoc Sacramentum benè affectus credendus sit.

Quapropter Parochi per singulas saltem hebdomadas, omni diligentia perquirentes, populi sui necessitates temporales, ac spirituales noscere studeāt, eisq; pro viribus promptè, & benignè prouideant; & quandò ipsi aliqua in re officio suo satisfacere non possunt, de eo nos, vt res ipsa postulat, commonefaciant.

Sciant nō omnibus promiscuè hoc Sacramentum esse administrandum; sed infirmis tantum, periculosè ægrotantibus, propè moribundis; extremoq; senio confectis in diem morituris, etiam non ægrotis.

Aliis verò sacram hanc vnctionem nullo pacto adhibendam; pueris nimirùm rationis vsu carentibus, qui nulla peccata admiserunt; quorum reliquiæ hoc presertim Sacramento sanantur; mulieribus in partu laborantibus; ad bellum proficiscentibus; nauigantibus; peregrinantibus, tametsi vitæ periculum adeant; nec item vltimo mox supplicio plectendis; & iis denique, qui sano, & firmo sunt corpore.

Amentibus tandem, & furiosis, qui ab ipso ortu, nunquàm mentis, & rationis compotes fuerunt, nequaquàm tribuatur hoc Sacramentum: at si interdum rationis vsum habuerint, & eo sanę mentis tempore pii animi significationem dederint, petierintq;, vt sacro oleo vngerentur, ne negetur, etiam si postea in insaniam, & furorem inciderint.

Non sunt omnes corporis partes vngendæ; sed eę tantum,

tantum,quas veluti ſenſuum inſtrumenta natura homini attribuit, vt oculi, aures, nares, os, manus, renes, & pedes.

In mulieribus,honeſtatis gratia,vnctio renum (vt quæ non eſt de ſubſtantia) penitus omittatur; in viris autem, ſi commodè fieri poteſt, adhibeatur; ſin minus, earum loco pectus circa regionem cordis inungatur.

Manus,quę reliquis infirmis interius vngi debēt, pręsbitero infirmo exterius vngantur, cùm in Sacramento Ordinis ſuſcipiendo interius ab Epiſcopo vnctę iam fuerint.

Si quis autem aliquo membro caruerit, pars illi propinquior vngenda eſt.

Meminerint Parochi, ſemel tantum in vna, eademq; ægrotatione ægrum eſſe vngendum.

Poterit tamen, quoties ex ea conualuerit, & poſtea in aliud vitæ diſcrimen inciderit, toties eiuſdem Sacramenti ſubſidium eidem iterum adhiberi.

Caueant præterea, dum oculos, aures, nares, manus, & pedes, quæ membra paria ſunt, perungunt, ne in altero ipſorum inungendo Sacramenti formā abſoluant,cùm ambo ſub vna,eademque verborum pronunciatione ſint ſacro Oleo linienda.

Parochus,dum ad ægrotum grauiter laborantem ſanctiſsimum Corporis Chriſti viaticum defert,poterit huius ſacræ Vnctionis vaſculum portare, & illud adminiſtrare, ſi pro morbi ingraueſcentis vi ita faciendum cenſuerit, timeriq; poſsit, ne dum ipſe ad Eccleſiam rediret, ægrotus moreretur.

Quandocunq; ad infirmum vngendum, erit hoc ſacrum oleum deferendum,Parochus ſtola,& ſuper

pelliceo indutus deferat, & vbi commodè poſsit, clericum ſuperpelliceo item amictum, cum Cruce, ſine haſta, ad caput infirmi, ſacra Vnctione peracta, relinquendā præcedentem habeat, qui ipſum miniſtrantem, & precantem omni pietatis ſtudio in eo miniſterio adiuuet, & comitetur.

Sacri Olei vaſculum, quod argenteum, vel ſtanneum eſſe conuenit, ſacculo ſericeo, qui cordulas ſericeas, adeò lōgas habeat, vt collo (ſi oportuerit) cōmode appendi poſsit, incluſum (ne ſinu brachioue) ſed manibus comprehenſum piè, reuerenterq; ad ægroti domum deferatur.

Parochus ipſe tantum hoc Sacramentum miniſtret; quod ſi mortis periculum inſtet, & Parochus, vel impeditus ſit, vel in mora exiſtat; quilibet Sacerdos, etiam ad curam animarum non approbatus, miniſtrare valebit.

Ad hoc Sacramentum miniſtrandum acerſitus, curet, vt propè ægroti lectum menſa decens parua paretur, mappaq; ſternatur candida, ſuper qua vas Olei cum candela cęrea accēſa collocari poſsit, aliaq; neceſſaria ad Sacramenti adminiſtrationem reponi.

Adſint prætérea tot bombicis, aut ſtuppæ globuli, quot ad abſtergendas ſingulas vnctiones ſint ſatis; mica panis, & vas aquæ ad digitorum abſterſionem præparatum.

Cùm ad infirmum peruenerit, ea omnia ſeruet, quæ tum ſuperius adnotauimus, tum in rituali habentur; ſeduloq; curet, vt dum verba illa, Per iſtam ſanctā Vnctionem, &c. quæ ſunt huius Sacramenti forma, profert, eodem quoque tēpore, & non antè, vel poſt, corporis partes vngendas, idem ipſe Sacerdos

dos inungat; vaſq; ſacri Olei nunquàm laico homini tenendum tradat.

Hortetur omnes, qui, dum infirmus vngitur, pręſentes adſunt, vt pias pro eo ad Deum preces effundant. Si in Vnctione adhibenda ægrotus è vita diſcedat, Sacerdos ab Vnctione deſiſtat; verùm ſi aliquo caſu dubitetur, an viuus ſit, vel mortuus, hac conditione vngatur, ſi viuus es, Per iſtam ſanctam Vnctionem, &c. & ſi mors ægroto adeò immineat, vt omnia perfici non poſsint, aliis omiſsis, quæ ſi viuat poſtea ſupplenda erunt, ſacram adhibeat Vnctionem.

Si per errorem aliud oleum, quàm infirmorum, puta Chriſmatis, aut Cathecumenorum, adhibitum ſit, vnctio cum oleo infirmorum, & ſimul eadem verborum forma iteretur; cętera verò non eſt, quòd repetantur.

Ad extremum, vbi ſacram Vnctionem peregerit, ſi ægrotus ſenſuum vſum non amiſerit, ne deſit breuibus, ſuauibus, ardentibuſq; verbis ipſum ad ſpē diuinæ miſericordiæ, ac cœleſtis patrię conſequendæ deſiderium, quantum poterit, intima animi pietate excitare.

Poſtremò ad Eccleſiam reuerſurus, ablutionis manuum, & ea, quibus Vnctiones abſterſæ ſunt, ſecum afferat, vt igni protinus tradat, earum cineres in ſacrarium immittat.

Sanctum infirmorum oleum intra Eccleſiam in vaſe ab aliorum oleorum vaſculis diſtinctè ita aſſeruetur, vt intra decentem feneſtellam valuis, & claue munitam, intus tabulis, & ſerico circumamictam; foris vero piis imaginibus, vel aliis ornamentis decoratam, diligenter cuſtodiatur.

Et

Et quoniam qualibet noctis hora paratum se Parochus ad hoc debitũ charitatis officium prestare debet; si quandò Parochię finibus grauius ægrotantes fuerint, quibus vsu venire possit, vt celerius administrandum sit: licebit tunc illud domi apud se habere; eo tamen loci, vbi & decenter, & tutò maneat, & vt ab alio prętereà nemine possit attingi.

Inualescente verò morbo, ne prętermittat Parochus infirmum sæpius inuisere; & ad benè in Domino moriendum disponere; sumptis ad hoc argumentum in rituali, vel aliundè, iis documentis, quæ pro illius captu, & conditione magis opportuna videbuntur, ne imparatus, & sine vlla mortis cogitatione decedat; & cùm extremum agere spiritum, iamq; agonizare cognouerit, eum in illo pręsertim momento, vnde pendet æternitas, ne deserat; sed statis precibus ipsius animam Deo commendet, & aliis spiritualibus cohortationibus confirmet; & quo tempore maior est auxilii necessitas, eò magis piis domesticorum orationibus, & charitatis operibus commendabit.

Prohibendi autem omninò, & detestandi sunt, quos accepimus rudium quorundã hominum abusus, qui dum in agone est infirmus, vt facilius animam expiret, iugum super eum ponunt; aut tecta domus aperiunt; vel sub capite agonizantis totidem lapillos abscondunt, quot confinium terminos, toto vitę suę tempore amouisse forsitan confessus fuerit: has enim, & similes superstitiones, si quas Parochi animaduertèrint, ne permittant, sed studeant è simplicium animis extirpare.

In Sacra-

In Sacramento Ordinis.

cap. xvij

ORDINIS Sacramentum, ſine quo cętera, partim confici, partim adminiſtrari nequeunt, non ſine magna cautione, & circũſpectione, ex ſacr. Conc. Trident. Decretis conferendum eſt, vt ii ſolum Dei miniſtri eligantur, quos probabilis coniectura ſit, dignos, atque vtiles ipſius operarios fore. Seſſ. 23. de refor. gen. ferè per tot.

Quare ab Ordinum ſuſceptione (à qua, vel omnis infamiæ, ſeu fęditatis ſuſpitio abeſſe debet) reiicimus quouis modo irregulares, homicidas, vagos, inſigni corporis vitio deformes, aut mancos; ſeruos, criminoſos, corpore vitiatos; illegitimè natos, peregrinos, & ignotos, bigamos, neophitos, ebrietati, & gulæ deditos, impudicos, incontinentes, vſurarios manifeſtos, ſuſpenſos, interdictos, excommunicatos, amentes, herculano, ſeu comitiali morbo laborantes, energumenos, atque alios huiuſcemodi criminibus obnoxios, vel quauis denique Eccleſiaſtica cenſura, ſeu alio canonico impedimento irretitos.

Valdè etiam improbamus, quos metus aliquis ſecularis iudicii fugiẽdi, quęſtus, aut ambitio, ſeu opulentum aliquod beneficium ad Eccleſiaſticam hanc viuendi rationem ducit; qui cùm nullam aliam habeant ſacrorum Ordinũ cogitationem, nil amplius, quàm Iudas ex Apoſtolatus munere, conſequi poſſe videntur.

At verò aſſumendi ſunt, quibus propoſitum eſt, vt non ſolum in omnibus rebus Dei gloriam quærant; ſed vt alicui certo Eccleſię miniſterio addicti, in ſanctitate, & iuſtitia illi inſeruiant.

Clericali

Clericali militiæ primùm adſcribēdus is ſit, quem non ſolum cōſtet nullo canonico impedimento prohiberi; ſed origine, vel domicilio, vel alia ratione Diœceſanū eſſe, atq; ſpontè hoc vitę genus elegiſſe.

Quare omnes admonitos volumus, & præcipuè parentes, ne filios, vel alios inuitos inducant, vt Eccleſiaſticæ vitę rationem ingrediantur.

Sit item ſacro iam antea Chriſmate confirmatus, eiuſq; vitę, ac diſciplinæ, vt in clericali Ordine ſpem faciat ſe perſeueraturum; Doctrinæ Chriſtianæ ſcholas frequentet; fideiq; rudimenta edoctus ſit.

Non ſit minor ſeptennio, nec legendi, aut ſcribendi ignarus.

Conc. Tridēt. ſeſ. 23. cap. 16. de reſ. gener.

Propriam iam tum comparauerit veſtem talarem, ſuperpelliceum, & clericale biretum; quibus ornatus poſt primam tonſuram ſuſceptam, cui Eccleſiæ in teſtimonialibus literis exprimendæ, fuerit adſcriptus, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis inſeruire teneatur; quòd ſi locum ſibi aſſignatum, etiam ſi ad minores Ordines ſit promotus, incōſulto Epiſcopo, deſeruerit, ſacrarū eidem functionū exercitiū interdicetur, omnibuſq; priuilegiis, fructibus, & emolumētis, quibus tonſuræ, & ordinū cauſa frui poſſet, priuabitur.

Seſſ. 23. c. 5. & 11.

Minores ordines per temporū interſtitia ad Cōc. Trid. præſcriptum, iis tantùm conferentur, qui latinam ſaltem linguam intelligant, doctrinamq; Chriſtianam didicerint; tum ſeſe in cantu eccleſiaſtico exercuerint.

Bonum à Parocho, & ſcholę Magiſtro, vel ab eo, quem in quouis literarum genere audiunt, teſtimonium habeant; quo de eorum moribus, indole, & in literis progreſſione certa fiat atteſtatio.

Tertium

Tertiumdecimum, seu quartumdecimum suç ætatis annum attingant; eiusq;, & primæ tonsuræ, vel ordinum susceptorum literas habeãt testimoniales.

Probent prætereà chirographo Pręfecti illius Ecclesiæ, cuius seruitio fuerunt adscripti, se in clericali habitu, & tonsura, diebus saltem festis, præscripta sibi ab eodem munera exercuisse.

Singulis item, ad minus, mensibus sacramentali confessione expiatos, atque etiam Eucharistiæ Sacramento se esse refectos.

Si qui autem in aliquo pręnictorum defecerint, sciant sibi ab ordine, quem habent, ad alium non patere aditum, donec se satisfecisse probauerint.

Ab vltimo minorum Ordinum ad primi maiorũ susceptionem, & iterum ab vno ad alterum ex ipsis maioribus, annus integer intercedat, nisi aliter pro Ecclesiæ necessitate, aut vtilitate Episcopo videatur; quo tempore toto constet eos in suscepto ordine diligenter cum habitus, & tonsuræ clericalis delatione versatos esse. Cõc. Trid. sess. 23. c. 11. & 13.

Maiorem aliquem ordinem suscepturi, per mensem antè indictum ordinationis tempus Episcopum adeant; cui post quàm suum desiderium declarauerint, scripta dent eorum nomina, cognomina, patriam, & Parochiam, intra cuius limites degunt; vt ad Conc. Trid. præscriptum committere posit Episcopus Parocho, vel alteri, cui magis expedire videbitur, vt nominibus, ac desiderio ipsorum ordinandorum publicè in Ecclesia propositis, de eorum natalibus, ætate, moribus, vita, functionibusq; in præcedentibus ordinibus præstitis, à fide dignis diligenter inquirat.

Is verò,cui inquisitio prædicta ab Episcopo committetur, denunciationes die aliquo festo in Ecclesia Parochiali, in Missa illa, ad quam maior populi pars conuenire solet, faciat; & post quàm huiusmodi denunciationes, & inquisitionem compleuerit, literas testimoniales obsignatas, ipsas denunciationes, & inquisitionem factam continentes,ad Episcopum per ipsummet initiandum transmittet.

Quibus, si de ipsorum natalibus, ætate, vita, moribus,atque superiorum ordinum peculiari, & certa administratione bonum fiet testimonium,& alia necessaria non desint,ad examen doctrinæ,& eruditionis admittentur: sin secus, omninò reiicientur.

Parochos,seu alios Ecclesiarum præfectos,nec nõ laicos homines periurii, seu falsi pœnis subiicimus,si in alicuius promouendi gratiam,aut alias temerè minus verum nobis fecerint testimonium.

Conc. Tridēt. sess. 21. cap. 2. de ref. gener.

Promouendi ad ordinem subdiaconatus legitimè cõstare faciant,se beneficium Ecclesiasticum, (cuius fructus, & redditus ad summam scutorum vigintiquinque ad minus,singulis annis,oneribus,& expensis deductis,ascendant) pacificè possidere; vel pensionem,aut patrimonium eiusdem redditus verè obtinere,si eos pro necessitate,vel commoditate Ecclesiarum suarum assumendos esse, Episcopus iudicauerit; ne sordidum aliquem deinde quæstum cum ordinis sui dedecore exercere, aut mendicare cogantur.

Et cùm experientia demonstret, innumeras fraudes circa donationes,quę per parentes, fratres, consanguineos, aliosue iis fiunt, qui se ad præfatum patrimonii titulum promoueri expetunt,committi, in

eorum,

eorum, qui ordinãtur, animæ perniciem, Clericalisq́; ordinis dedecus; vt fraus omnis, quantum fieri potest, vitetur; ea instrumenta, quę, patrimonii donandi, assignandiue causa, confici solent, nunquam à Vicario generali probentur (ad quem huiusmodi probationes spectare iubemus) nisi prius duo probatę vitæ homines iurati coràm eo testentur, quòd bona illa donata, assignataue à donante, iure, ac pacificè donationis tempore possidebantur, illiusq́; conditionis esse, vt timendum non sit, vt ab alio euincantur, seu aliàs à quoquam repetantur: eorumq́; fructus ad prefinitã pecuniæ summã ascendant: quodque donanti (si extraneus sit) alia bona supersint, quæ ei ad vitam sustentandam satis sint; &, si pater, aut mater fuerit, quòd tot bona eis remanserint, vnde saltem pro filiis legitima, dosq́; congrua pro filiabus extrahi commodè possint.

Qui ordinem suscepturus est, antequam ad examen admittatur, is etiam iuret, se esse in pacifica bonorum donatorum possessione, ac fructus verè, & realiter perc episse; seq́; illa bona, vel fructus nunquã, aut donanti retrocessurum; vel quouis pacto alienaturum, distr acturumue, absque Ordinarii consensu, donec beneficium Ecclesiasticum ad vitæ sustentationem sufficiens obtinuerit, vel aliundè habuerit, vnde honestè viuere possit; nullumq́; inter se, & donatorem pactum intercessisse, quòd bona donata, seu eorum fructus sint donatori restituenda; vel alii, vt ad eius manus quoquo modo perueniant; nisi vel post ipsius donatarii mortem, vel postquam beneficium, seu aliud fuerit consecutus, quod sibi ad vitam honestè ducendam sufficiens esse possit.

Eandem quoq; formam seruari mandamus, in eo patrimonio probando, quod ordinando ex successione peruenit, vel alias acquisiuit.

Eorum autem, qui in aliquo prædictorum malitiosè peccauerint, aut peierauerint, præter periurii, & falsi pœnas, laici ab ingressu Ecclesiæ sint ipso facto interdicti; promonendus verò ab executione susceptorum ordinum sit suspensus; nec ad alios maiores promoueri possit; & has pœnas in iuramenti pręstatione Notarius ille, qui iusiurandum deferet, vel Vicarius, illis, quorum interest, in primis edicere teneatur.

Sess. 23. c. 12. Legitimum pręterea ad maiores ordines assumendi de ætate testimonium proferant: sciantq; à Concil. Trid. definitum esse, nullum ad Subdionatus ordinem promouendum, qui vigesimumsecũdum; ad Diaconatus, qui vigesimumtertium; ad Presbiteratus verò, qui vigesimumquintum ætatis suę annum saltem non attigerit; cumq; frequentius in hoc peccari contingat, magna per Vicarium adhibeatur cautio, & diligentia, ne fraus aliqua intercedat, errorue committatur.

Eos verò, qui nulli sunt Ecclesiæ addicti, si in ciuitate morentur, ipsi Cathedrali; si extra; Ecclesiæ illius loci digniori; nisiq; alia adsit, suæ saltem Parochiali, ex nunc adscriptos declaramus, vt ibi, festis saltem diebus, suorum ordinum munera exercẽtes, inseruiant, & processionibus tam ordinariis, quàm extraordinariis intersint. Ab Ecclesię tamen seruitio excusabuntur, qui studiorum causa re vera de mandato nostro absuerint.

Accedant insuper literis, & iis, quæ ad ordinem exer-

exercendum pertinent, benè instructi, ad Cõc. Trid. præscriptũ; & qui ad Subdiaconatus ordinem erunt promouendi, etiam vsu periti in recitatione diuini Officii, cuius lege mox tenebuntur. Propositumq; iisdem sit, votum perpetuæ continentię sacro ordini annexum seruare: singuliq; præcedentis ordinis testimonium exhibeant. Sessio. 23. cap. 13.

Tuncq; etiam sciant, neminem ad examen esse admittendum (& si opportunas, atque necessarias eorum, quæ præscripsimus, testificationes habeant) nisi prius eas à Vicario generali recognitas, eiusq; subscri tione probatas exhibuerint.

Vt quoque ad maiores, seu minores ordines nemo, cuiuscunque sit ille dignitatis, aut gradus admittetur, nisi se examini subiiciat, & idoneus probetur.

Neque item promouebuntur, qui talaribus vestibus non accedant induti; & coronam in capitis vertice ad pręscriptum non habeant.

In regularibus eadem circa eruditionem, & alia adhibebitur cautio; nec eorum cuipiam vel clericalem tonsuram, vel ordinem aliquem conferemus, nisi ii literas dimissorias bimestri tempore non vetustiores, à suo superiore de suscipiendo ordine attulerint; & testimonium item, se nulla culpa, aut canonico impedimento irretitos esse.

Aliud præterea testimonium à superiore Monasterii afferant, se, loco tituli, regularium professionem solenniter emisisse; progressumq; in regulari disciplina fecisse; eorumq; nomen publicè in Ecclesia, ad Conc. Trid. pręscriptum, denunciatum fuisse. d. cap v.

Susceptorum ordinum, quorum etiam fidem secum habeant, functiones exercuisse, seq; vita, & moribus

ribus tales esse, qui dignè queant ad illum ordinem promoueri.

Præcipuè verò testetur Monasterii Pręfectus eam præscriptæ à Trid. Conc. ætatis esse.

Et quoniam hac in re passim, vt diximus, peccari solet; sciant tã regulares, quàm seculares clerici, qui antè ætatem legitimã ad singulos sacros ordines promouebuntur, vt etiam, qui cum ex vrbe, vel Diœcesi Arretina oriundi sunt, absque legitimis dimissoriis ab alieno Episcopo aliquem ex ipsis sacris ordinibus acceperint, se à prædictorum ordinum executione ipso iure suspensos esse, ex Pii secundi Pont. constitutione, qua durante suspensione, si in iisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrere.

Incip. cum ex sacrorum edit. Calé. Dec. 1461.

Qui autem impetrata legitima facultate alibi fuerint promoti, infra mensem Vicariũ, vel Cancellariũ Episcopalem vsq; adeò moneant, vt intelligat à quo Episcopo, quem ordinem, vbi, & quãdo, susceperint.

Cancellarii autem cura sit, tum prædictorum alibi ordinatorum, simulatq; ab ipsis ea de re monitus fuerit; tum eorum omnium, qui ab Episcopo Arretino tonsuram, vel ordines susceperunt, tam regularium, quàm secularium nomina, cognomina, titulum, Ecclesiam, cui adscribuntur, locum, & tempus, quo quisque promotus sit, in certum librum in Archiuio Episcopali perpetuò custodiendum referre; in quem referent etiam eorum nomina, cognomina, titulum, & Ecclesiam, cui ascribentur, quibus post hac dimissoriæ literæ concedentur, vt ab alieno Episcopo ad aliquem tum minorum, tum maiorum ordinum possint promoueri.

Ordi-

Ordinandi omnes, siue seculares, siue regulares sint, nō prius ad ordinū susceptionē accedāt, quàm peccata sua probato confessario fuerint confessi, vt sacrā Eucharistiā (iis exceptis, quibus per ętatem ne quaquā licebit) promoti sumāt, ne forte ordinis sacramētū suscipientes, à sacramēti gratia excludātur.

In Matrimonij Sacramento.
cap. xviij

FACILE est intelligere, quanta, & quàm multa commoda, & vtilitates ad Christianam societatem peruenire possunt, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam habeant, & inuiolatam seruent.

Quoties se obtulerit occasio, hoc ipsum Parochi accuratè populos admoneant, adhibitis Cathechismi Romani locis, & doctrina; docentes præterea, quomodo illud sanctè contrahendum sit, & quemadmodum in eo vsque ad obitum versandum.

Hortentur autem summoperè, vt saltationes lasciuas, & commessationes parùm sobrias ad moderationem Christianis dignam reducant; quo sic hilaritas nuptialis, modestia, ac pietate condita, authoris, & copulatoris Dei oculis magis commendetur.

Illudque in primis animaduertant, vt in eius administratione ne latum quidem vnguem à Concil. Trid. decretis discedant.

Vt intelligant fideles, cum clandestina matrimonia irrita omninò, ac rescissa esse; tum alia multa, quę expediant; explicent Parochi bis, vel ter in anno inter Missarum solennia diebus festis caput illud Concil. Trident. de Reformatione matrimonii, communi sermone, prout hic iacet. Sess. 24. c. primo.

Benche

Benche nõ ſia da dubitare, che i Matrimonii clandeſtini, & occulti di libero cõſenſo, & volontà delle parti fatti ſiano veri, & legittimi Matrimonii, fin che la Santa Chieſa non gli habbia annullati, e fatti irriti; e per ciò cõ ragione ſi debbano biaſimare, & dannare quelli (come la ſanta Sinodo con iſcomunica danna) che niegano tali Matrimonii eſſer veri, e legittimi: e che finalmente affermano, che i Matrimonii fatti da' figliuoli di famiglia ſenza il conſenſo de' padri, ſiano irriti, e non veri; e che i padri à loro piacere gli poſſono far validi, & irriti. Nondimeno la ſanta Chieſa di Dio per giuſtiſſime cagioni, ſimili Matrimonii ha ſempre deteſtati, & hauuti in abominazione: ma cõſiderando la ſanta Sinodo, che tali prohibizioni per la inobbedienza degli huomini non giouano; e conſiderando anco i graui peccati, che naſcono da ſimili Matrimonii clãdeſtini, & occulti, e ſpecialmente di quelli, che ſe ne ſtanno in iſtato di dannazione, mentre che, laſciata la prima moglie, con la quale di naſcoſto haueuano contratto matrimonio, pigliano vn'altra moglie alla paleſe, e con eſſa viuono in perpetuo adulterio. Al qual male, e diſordine non potendo la Chieſa (la quale non giudica delle coſe occulte) prouedere, ſe non con qual che più efficace rimedio; per ciò, non ſi diſcoſtando dalle pedate del ſacro Concilio Lateranenſe, celebrato ſotto Innocenzio III. comanda, che per l'auuenire prima che ſi faccia il matrimonio, ſi denũzii publicamẽte dal proprio Parocchiano de' cõtrahenti, in tre continoui giorni di feſta, mẽtre ſi celebrano le Meſſe, fra chi ſi debba fare il matrimonio; le quali denunzie fatte che ſaranno, non ſendo oppoſto alcu-

no legittimo impedimento, si proceda alla celebrazione del matrimonio in faccia della Chiesa, doue il Curato, da poi che haurà addimandato l'huomo, e la donna, & haurà inteso scãbieuolmente il loro con senso, dica, io vi congiungo in matrimonio, in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo; ò vero vsi altre parole secondo l'approuato rito, e consuetudine di ciascuna prouincia; e se alcuna volta vi fosse probabil sospetto, che cotal matrimonio maliziosamente si potesse impedire col fare tante denunzie; in tal caso, ò si faccia vna sola denunzia; ò vero si celebri il matrimonio alla presenza almeno del Curato, e di due, e tre testimonii, e dipoi auanti la consumazione di esso matrimonio, si facciano le denunzie in Chiesa, acciò se vi fusse alcuno impedimento, piu facilmente si scuopra; se già l'Ordinario istesso non giudicasse esser meglio, che le sopradette denunzie si tralasciassero in tutto. Il che il santo Concilio rimette alla sua prudenza, & giudizio; E quelli, che altrimenti che alla presenza del Curato, ò di altro Sacerdote, che habbia licenza dallo stesso Curato, ò vero Ordinario, e di due, ò tre testimonii, tenterãno di cõtrarre, e fare matrimonio alcuno; il santo Concilio gli rende inhabili in tutto à poter cõtrarre; e dichiara, che questi simili contratti, siano irriti, nulli, e di nessun valore; si come per questo presente decreto gli irrita, & annulla. Di piu comanda, che il Curato, ò altro Sacerdote, che con minor numero di testimonii; & i testimoni, che senza il Curato, ò altro Sacerdote, come di sopra, si troueranno à simili contratti; & i contrahenti istessi siano grauemente puniti ad arbitrio dell'Ordinario. In oltre il medesimo

ſanto Concilio eſorta gli ſpoſi, che auanti alla benedizione, che hanno d'hauere, ò riceuere in Chieſa dal Sacerdote, non habitino inſieme in vna ſteſſa caſa; & ordina, che la benedizione ſi faccia dal proprio Curato; e che neſſuno poſſa dar licenzia di far la detta benedizione, eccetto che il proprio Curato; ò vero l'Ordinario; non oſtante qual ſi voglia conſuetudine, ancorche immemorabile (la quale ſi dee più toſto chiamare abuſo, & corruttela) ò qual ſi voglia priuilegio; & ſe alcuno Curato, ò altro Sacerdote, ò ſia ſecolare, ò regolare (ancora che preſumeſſe eſſergli ciò lecito per qualche priuilegio, ò cõſuetudine immemorabile) haurà ardire di congiugnere in matrimonio, ò vero benedire ſpoſi, e perſone, che non ſiano della propria Parrocchia, ſenza licenza del loro proprio Curato; tanto tempo ſtia ſoſpeſo, quanto che ſia aſſoluto dall'Ordinario di quel Curato, che doueua interuenire al matrimonio, ò che doueua fare la benedizione.

Denunciationes cõtrahendi matrimonii ne prius à Parochis fiant, quàm ſponſus, & ſponſa eorumq; parentes, ſi adſint, vel alii, qui ipſorum curã gerunt, id poſtulauerint; quod à Parocho puellæ præſertim ſeruetur; licet enim parentum conſenſus non ſit ad hoc neceſſarius, rationi tamen ſummoperè conſentaneum videtur, vt requiratur: &, ſi quid difficultatis in eo habendo reperiri contingat, re tota ad Ordinarium delata, ad denunciationes non procedatur, niſi ab eo licentia id faciendi obtineatur.

Sin fortè probabiliter ſuſpicari poſſit, puellæ voluntatem à quoquam cogi; vel alteri fidem ſuam obſtrinxiſſe, aut iuramento ſpopondiſſe, ſiue caſtita-

tis,

tis, religionisue votum edidisse; illam Parochus honesto loco in propinquorum conspectu (nemine tamen audiente, vt ipsa liberè suam voluntatem expromere audeat) diligenter de prædictis interroget; remq; totam ad Ordinarium deferat, & interim vlterius non procedat.

Inquiret item de vtrorumq; ætate, nam nisi sponsus in quintodecimo suç ætatis anno, & spōsa in tertiodecimo constituti sint, matrimonium non erit denunciandum.

Exterorum, & ignotorum ne fiant pariter denunciationes, nisi duorum fide dignorum testimonio legitimo; vel authentico sui Episcopi documento, eos matrimonii vinculo nusquàm obstrictos esse, nobis ritè constare faciant; & scriptam contrahendi licentiam à nobis obtineant: alioquin, pœnam tam contrahentes, quàm Parochi grauissimam volumus sustinere.

Tum prçterea vagantium, & incertas habentium sedes; qui, vt improbi sunt ingenii, prima vxore relicta, aliam, & plerunque plures, illa viuente, diuersis in locis ducunt; caueat Parochus, ne matrimoniis intersit, aut ea denunciet, nisi facta prius diligenti inquisitione, exaratā à nobis eius rei facultatē habeat. Conc. Tridēt. sess. 24. cap. 7. de ref. matr.

Asserentibus esse solutos, si vterq;, vel alter tantum alias matrimonio copulatus fuerit, nequaquàm pateat ad secunda vota transitus, nisi certus prioris coniugis obitus habeatur, nobisq; probetur.

Si suspicetur ob aliquod impedimentum, quod omninò certum non sit, matrimonium contrahi non licere; Parochus statim consulat Ordinarium, nec alias vlterius progrediatur.

Matrimonia contrahenda non primùm publicet in Ecclesia, quàm cognouerit, & sponsum, & sponsam, si non omnes doctrinæ Christianæ partes, saltem Orationem Dominicā, Salutationem Angelicā, Symbolum Apostolorū, Decalogiq; præcepta cōmodè recitare; quodue eo anno eorum peccata fuerint confessi, sacraq; communione refecti, nisi de Episcopi licentia gratis concedenda secus faciendum videatur. Hoc verò decretum ad populi memoriam frequenter reducat, vt præmissa addiscere curet.

Tum postea denunciationes ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis festis diebus intra Missarum solennia fiant, cùm populus in Ecclesia frequentior esse solet; idq; tam in Parochia sponsi, quàm sponsæ, ad eiusdem Concilii præscriptum fiet, si in diuersis parochiis contrahentes habitent.

d. cap 1.

Fieri autem possunt iis etiam festis diebus, qui nō ex præcepto, sed ex loci consuetudine celebrantur.

Dum denunciationes fiunt, omni sanctæ cohortationis officio curet Parochus, vt sponsi, antequàm contrahant, peccata sua diligenter confiteantur; & Eucharistiam piè sumant, triduo saltem antequàm simul conueniant.

Prohibeat omninò, ne vllam ob caussam, quamuis honestam, coniuges cohabitent, aut alter alterius domum frequentet, neue aliter quàm in multorum præsentia ad inuicem versentur, aut colloquantur; quod parentes præcipuè curare debent, ne ob nimiā cum sponso consuetudinem, detecto forte aliquo impedimento, sponsa, vel innupta remaneat, vel aliū virum, cui nubat, difficilius inueniat.

Iubeat verò in primis sponso, vt ante celebratum

ma-

matrimonium, à copula prorſus abſtineat; tum ob graue peccatũ, à quo ſi illud admittat, (cum ex nunc eius abſolutionem Epiſcopo perpetuò reſeruemus) non erit, niſi graui pœnitentia ſibi impoſita, abſoluendus; &, ſi ad forum contentioſum deducetur, acri etiam pœna afficiendus; tum (ſi impedimentum aliquod poſtea detegatur) ob maximam difficultatem diſpenſationis à ſede Apoſtolica obtinendæ.

Propterea ſub pœna excommunicationis, eo ipſo incurrendæ præcipimus, quòd ſi de cętero contigerit tractari, & cõcludi ſponſalia inter eos, qui aliquo cõſanguinitatis, aut affinitatis gradu ſunt coniuncti, aut alias adeò impediti, vt abſq; diſpenſatione Apoſtolica, non valeant inuicem copulari, ea nec publicentur, nec ſponſus prius viſitet ſponſam, aut illius domum ingrediatur, vel contra; quàm fuerit legitimè cum eis diſpenſatum; & ne quis ignorantiæ clipeo tueri ſe valeat, Parochi ter, vel quater quot annis hoc decretum populo publicare non deſint.

Et ne fortè ſponſi arbitrentur ſecum fuiſſe diſpenſatum ſtatim, quòd mandatum de diſpenſando à ſede Apoſtolica obtinuerint; & ideò eis licere non ſolùm ſimul conuerſari, verùm etiam (vt ſępè euenit) conuenire; populum Parochi moneant, cùm de coniugiis ſermonem habuerint, non prius cum ſponſis eſſe diſpenſatum, quàm Epiſcopus vel Vicarius (ad quorum alterum mandatum ipſum dirigi ſolet) diſpenſauerit, &, ſi antè conueniant, diſpenſationem deſuper obtentam, nequaquàm eis ſuffragaturam.

Caueat vtriuſque ſponſi Parochus, ne aliquam ex tribus denunciationibus ſine ſcripta Epiſcopi facultate omittat; aut bis eodem die idem matrimonium

denun-

denunciet; alias, ipso facto suspensionis pœnam ab executione suorum ordinum incurrat.

Quo die vltima facta fuit denunciatio, eodem, sine Ordinarii cōsensu, ne matrimonium celebretur; nisi initium Quadragesimæ, vel Aduentus continuò subsequatur; dum tamen in secunda denunciatione populus de eo fuerit præmonitus; vt quæ fortè subsint impedimenta, vnusquisque oportunè pandat.

At verò (quod nonunquam euenit) ne nimia mora scandali detur occasio, statuimus, vt infra duos menses ad summū post vltimas denunciationes matrimonia ritè celebrentur; sin minus; ne liceat, elapsis duobus mēsibus, ad celebrationem amplius procedere, nisi consulto Episcopo, repetitisq; denunciationibus; caueant tamen Parochi, ne eorum culpa eueniat, vt matrimoniorum ipsorum celebratio in longum protrahatur.

Si in matrimonium iungēdi diuersis in Parochiis habitent, ne Parochus ad celebrationem matrimonii ante deueniat, quàm ab alterius Parocho testimonium in scriptis acceperit, gratis dandum, tum denunciationes præscriptas legitimè factas esse, tum nullum detectum fuisse canonicum impedimētum, quò minus matrimonium contrahi liceat.

Cùm Parochialis Ecclesia proprius sit huius Sacramenti administrandi locus, extra eā ne ad illud celebrandū Parochus, aut sponsi conueniant: intra eam verò, de mane (semper ante prandium) duobus, vel tribus testibus adhibitis celebretur; nūquàm autem ante diem, vel ianuis clausis, Episcopo inconsulto, (vt alicubi fieri consueuit) sub pœna suspensionis à diuinis eo ipso incurrendæ.

Eo ipso

Eo ipſo die, quo coniuges matrimonio iungũtur, Miſſa de ſpõſis, ex libro Miſſali celebretur; niſi ex inſtituto Eccleſię ſit prohibitũ eiuſmodi Miſſam celebrari: tunc enim Miſſa occurrens cum commemoratione pro ſponſis dicatur: & ſi primæ amborum coniugum nuptiæ fuerint, benedictio, quæ poſt orationem Dominicam, & ſub finem Miſſæ ſponſis adhiberi ſolet, vtriſque impertiatur: alioquin, prorſus omittatur.

Cum idoneus huius Sacramenti miniſter ſit proprius contrahentium Parochus; per ſe ipſe, non per alium, legitimo ceſſante impedimento, celebret; & in primis, ſponſo, & ſponſa interrogatis, eorumq; mutuo conſenſu per verba de præſenti intellecto, ex prȩſcripta in Rituario forma verborum, dicat. Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diem, & locum contracti matrimonii deſcribat; prȩnotatis ſingulis denunciationum diebus factarum; vt quod die feſto vnaquæq; facta ſit diſtinctè & ordinatè ibidem appareat, iuxta præſcriptam in fine huius Synodi formulam. In eundem librum ea etiam referat matrimonia, quæ (cùm fuerit ipſe impeditus) ab alio ſacerdote iam probato celebrari contingat.

Qui Parochus, aliuſue ſacerdos, alienę parochiæ ſponſos matrimonio iungere, aut benedicere auſus fuerit, abſque Epiſcopi, vel proprii Parochi ſcripta facultate, ſciat ſe ſuſpenſionis pœnam ex Concilio Tridentino ipſo facto incurriſſe. d.cap.1.

Antiquas ſolennium nuptiarum prohibitiones ab

Ead. sessio. cap. 10.
ab Aduentu Domini Nostri Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta Cinerum, vsque ad octauam Paschatis inclusiuè, & obseruet ipse Parochus, & ab aliis obseruari faciat; est enim hoc tempore vetitum sponsis benedici; domum solenniter sponsam traduci; Nuptialia conuiuia, & id genus alia prohibita facere: contrafacientes, meritas arbitrio Episcopi pœnas graues dabunt.

Ad omnes rixarum, & inimicitiarum occasiones tollendas, quę in sponsaliũ dissolutione oriri solent, optandum sanè esset, ne inter impuberes contraherentur; quæ verò tam inter impuberes, quàm inter puberes contrahi contingat, si mutuo partium consensu inita fuerint; ne ab alio, quàm à Vicario generali, præcedente causæ cognitione, dissoluantur: qui secus fecerit, & qui ante ipsorũ sponsaliũ dissolutionem cũ alia, seu alio matrimoniũ contraxerit; quiue auxilium, aut fauorem scienter præstiterit, pecuniaria, aut alia arbitratu nostro graui pœna plectetur.

Syn. prou. Floren. de mat. c. 10.

Caueant Parochi, si fortè aliquorum sponsalibus intersint, ne aut ipsi verba matrimonii; aut contrahentes verba de præsenti proferant; cùm propriè sponsalia per verba de futuro fiant; per quę non constat matrimonium; idque adstantes præmoneant.

Ne puellę aliæue mulieres sub spe futuri matrimonii, vt frequenter euenit, seipsas decipi, aut falli aliquo pacto sinant, doceant Parochi, sponsalia hodie (etsi carnalis copula consequatur, in matrimonium, vt ante Tridentinum Synodum) non transire; licet qui fictis sponsalibus, aut secus, virginem deceperit, ipsam, vel in vxorem ducere; vel alio modo conuenientiori ei satisfacere teneatur.

Scire

Scire debent Parochi iustitiæ publicæ honestatis impedimentum à Concilio Tridentino penitus esse sublatum, vbi sponsalia, quacunque ratione, valida non fuerint; vbi verò valida fuerint, primum gradum non excedere. Ead. sessio cap. 3.

Nec ignorare debent per eandem sacram Synodum, impedimentum illud, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, matrimonium contrahendum impediens, & contractum dirimens, ad eos dumtaxat, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, restringi. Ead. sessio. c. 4. & Cõ. Pij V. inc. ad Romanum edit. Cal. Decẽbr. 1566.

Extirpandus item, ac planè tollendus is est abusus, qui in quibusdam nostræ Diœcesis partibus magnam nuper rixam concitauit; cùm videlicet homines mulieri iterum nubenti, clamoribus, contumelijs, & strepitibus secundas quasi obiiciunt, & improperant nuptias; nec cessant illas mulieres exagitare, donec pecuniam, aut exculentum, & poculentum extorqueant; quod sanè detestandum facinus in Sacramenti cõtemptum, excõmunicationis latę sententiæ pœnã, & aliã arbitrio nostro pecuniariã coniunctã habere decernimus: mãdantes Parochis, vt hoc decretũ (vbi ea viget corruptela) populis quàm primùm denuncient, &, quoties opus fuerit, repetant.

Nec vllo pacto à Parochis ferendum est, vt sponsus, interea dum contrahit, ioci caussa ab vllo percutiatur; aut verba dignitati Sacramenti repugnantia audiat; minusue permittendum est, (quod certè superstitione non vacat) vt ciatus, vel patera tunc temporis frangatur; minusue, vt sponsus sponsam deosculetur in Ecclesia; vel aliud simile fiat, à sanctitate huius misterii alienum.

Cùm à matrimonio in Ecclesia publicè diurno tempore, ianuisq; apertis celebrando pleriq; in quibusdam Diœcesis nostræ locis abhorreant; quòd impii quidam, & nefarii homines verbis, nodorum nexibus, veneficiis, fascinationibus, huiusmodiq; scelerum generibus coniuges ligant, & malitiosè impediunt (dum præsertim contrahunt) quò minus matrimonium consumare possint; vt à tam nefario crimine, formidine saltem pœnę prorsus abstineant; omnes, & singulos id generis fascinantes, & veneficos, tum mandantes, consulentes, & suadentes, excommunicationis latæ sententię vinculo ipso facto illigari decernimus.

Eadem excommunicationis sententia eo ipso illos obstringimus, qui impedimentū aliquod falsum scienter attulerint, quo matrimonium legitimè futurum malitiosè impediant; & hoc pręter alias iuris pęnas in eo sancitas, caueant tamen tunc Parochi, ne ad alias denunciationes, & eo minus ad matrimonii celebrationem priùs procedant, quàm re ad Ordinariū delata, ab eo edoceantur quid ipsis agendū sit.

Clem. vnica de consang. & affinitat. Ead. sessio. cap. 5. Ead. sessio. cap. 9.

Edicimus pręterea excommunicationis latę sententię pœnam à Clemente V. aduersus eos constitutam, qui in gradu prohibito scienter matrimonium contrahere præsumpserint; eosdemq; ex Decreto Concilii Tridentini, omni spe consequendæ dispensationis carituros.

Eos etiam ex Tridentinæ sanctionis præscripto excommunicationis sententia eo ipso illigari monemus, qui, quouis prætextu, directè, vel indirectè egerit, seu iusserit, vt matrimonii libertas vllo pacto lędatur, aut violetur.

In

In adulteros, & concubinarios, vel eo nomine suspectos, seu vir, seu mulier, aut ambo coniugati sint, vel etiã soluti, quoad concubinarios; nec non in eos, qui non interposito Ecclesiæ iudicio ad certum, seu incertum tempus, quoad thorum, vel cohabitationem diuortium faciunt; & in eos parentes, qui proprias filias lucri gratia, aut alias prostituere non verentur: tum in maritos, qui adulteriis auxilio sunt, & conniuent, aut patiuntur proprias vxores meretriciam vitam agere; in internuncios ad hæc flagitia, & in lenonis officium exercentes. In eos tandem, qui virginem stuprauerint, ad pœnas tum à sacris Canonibus, tum à Concilio Tridentino, Apostolicisq; constitutionibus, tum ab edicto olim à nobis vulgari lingua contra adulteria, concubinatus, & alias inhonestas consuetudines edito, quod in fine constitutionum harum est, impositas, aliisq; arbitratu nostro legitimè procedetur.

De Ecclesiis, Oratoriis, & Altaribus.

Cap. xix.

NEMINI liceat nouam Ecclesiam, aut altare, Ordinario inconsulto (vt vetere Canone cautum est) extruere, aut erigere; neque iam extructis aliquid noui ædificii superstruere; eius autem rei potestas illi tantum fiet, qui prius prouentum assignauerit ad altarium suppellectilem comparandam: ac præterea dotem pro Missarum celebratione attribuerit; eaq; de re publico cauerit instrumento.

Ecclesiȩ (vbi fieri possit) separatȩ sint à prophanis ædibus, vt commodè circundari valeant; stabulis, aliisq; locis immundis nullatenus adhȩreant: & vbi

ad præſens adhęrent, ſi laicorum ſint, vt ad honeſtiorem vſum omninò conuertantur, ſummo ſtudio Eccleſiarum ipſarum Rectores ſtudeant; &, ſi quos in hac re difficiles, & renitentes compererint, ad Epiſcopum deferant, vt eius conſilio ſtatuant, quid agendum ſit; ſin Eccleſiæ erunt, Rectores id inuiolatè ſeruent, vt ex eis ſordida quæque ſtatim amoueantur; & in poſterum, nullum ædificii genus, ſub pœna excommunicationis, iuxta quaruncunque Eccleſiarum parietes, inconſulto Epiſcopo, ædificetur.

Ab omni prorſus immunditia, & ſordibus mundę intus, & extra ſeruentur, ſub pœna arbitrio Ordinarii imponenda. Propterea Sacriſta, ſeu alius, ad quem ſpectat, curent omninò, vt non deſint, qui bis ad minus, qualibet hebdomada Chorum, & ſemel totam Eccleſiam verrant, & expurgent; quiue purgamenta educant; & in angulis quibuſque omnia aranearum opera perdant, & dimoueant; & quòd tandem anno quolibet, ter ſaltem, in ſolennitatibus Natiuitatis Domini, Reſurrectionis eiuſdem, & Aſſumptionis Virginis glorioſę, parietes omnes, laquearia, & fornices tergantur, & à puluere liberentur, atque purgentur: caueatur tamen, ne hæc vnquam fiant, dum vel diuina recitantur officia, vel Miſſæ, etiam ſubmiſſa voce, celebrantur.

Arbores item, vites, hederæ, aliæue huius generis herbæ, à parietibus amoueantur, & conuellãtur.

Earum feneſtrę, præſertim ſi Parochiales ſint, clatris ferreis muniantur; niſi ita prealtè videantur, vt ab omni furtiuo, & violento per eas ingreſſu ſine iis tutæ appareant.

Vitro item perlucido, aut tela cęrata ſaltem occludantur,

dantur, ad prohibendos auium nidos, & frequentes in Ecclesia volatus, & garritus.

Muro claudantur illę fenestræ, per quas ex vicinis ædibus in Ecclesiis respiciatur, & post hac extrui non permittantur.

Portę Ecclesiarum sub noctis horam semper claudantur; ac nemini vnquam ante auroram aperiantur; nisi Natiuitatis Domini nostri nocte, dum officium celebratur, aut dum habenda sit oratio Quadraginta Horarũ, aut necessariò aliquod Sacramentũ ministrandũ, sintq; bene firmæ, fabriliq; opere ornatæ, nec non pessulis, seris, & clauibus fidè munitæ.

In summa parte exterioris frontispicii Crux, ex ære, aut ferro decens pro ratione Ecclesiæ collocetur; ac à parte superiori ostii maioris (in Parochialibus præsertim, aliisque Ecclesiis, vbi frequens est populus) imago Sancti, vel Sanctę, in cuius honorem dicatæ sunt, decorè sculpatur, aut pingatur.

At si Sanctissimæ Trinitatis, Saluatoris nostri, Spiritus sancti, Salutiferæ Crucis, alioq; ad diuinitatem, diuinasq; Saluatoris actiones pertinente titulo Ecclesia nuncupetur; aut Ecclesiæ titulus sit, Annunciationis, Assumptionis, vel Natiuitatis, alteriusue misterii ad sacram Virginem spectantis; vel in Sanctorum omnium honorem dicata sit Ecclesia; tunc ea picturæ expressio solùm fiat, quæ huiusmodi significationi congruat, misteriiq; rationi conueniat.

In summa verò parte interioris frontispicii, præsertim Parochialium Ecclesiarum (si ibi aptè collocari possit; alioquin, alibi pro loci situ, & commoditate) pia Crucifixi decens imago, lignea saltem; eiusue magnitudinis, vt ab ingredientibus perspici

facilè

facilè queat, nigro, vel albo, alioue, pro ratione temporum, velo tegenda, statuatur.

Propè ipsarum ingressum labellum aquæ benedictę marmoreum, vel saltem lapideum decens, cum suo aspersorio, non è spongia, sed è setis confecto, quod non foris, sed intus in Ecclesia existat, & à latere ingredientis, vbi potest, dextero collocatum sit.

Pauimentum, siue lapidibus perpolitis, siue ex glarea, & calce; siue ex lateribus firmiter, ac rectè sit adęquatum, & planum; quod quidem ad mortuos sepeliendos nunquam effodiatur sub vigintiquinque librarum, & excommunicationis pœna.

Parietes, nisi ab interiori parte sacris picturis decenter ornentur, albario saltem opere incrustentur.

Tectum, vel fornicatum, vel rectè laqueatum sit, & ita benè opertum, ne vel gutta quidem aquę inde in Ecclesiam diffluat; si quod autem appareat stillicidium, statim instauretur; atq; opportunè prouideatur, ne externi parietes ob diuturnam à suggrundiis stillationem, detrimentum aliquod patiantur.

Altaria non lignea, sed lapidea, vel è solido muro fabricata sint; eiusq; latitudinis, longitudinis, ac altitudinis, vt super eis commodè celebrari possit.

Nullum habeant subtus foramen; nisi fortè ad recondendas reliquias fenestella, aut locus aliquis relinquatur: aliud verò nihil asseruari, aut recōdi liceat.

Suos habeant gradus; scabellum ligneum suppedaneum satis latum, rectè compactum, ac firmum.

Altaris mensa (si tota consecrata sit) cęrata tela contegatur; sin autem sacrum habeat lapidem, tela pariter circumtectum; eius magnitudinis, quæ commodè calicem, patenam, & pixidem pro sacris

parti-

particulis capiat; is in Altaris menſa ita inſeratur, vt ab illa paululũ extet, quantũ tactu cognoſci poſſit.

Habeantur præterea in ſingulis altaribus, quæ ſequuntur.

Icona decens, ſeu tabula, in qua ea depicta ſit imago, quæ altaris titulo reſpondeat; niſi in pariete plano, aut fornicato decenter ſit depicta.

Crux, vel argentea, vel ærea, vel alia decens, & ornata; niſi in tabula, aut pariete ſanctiſſima Chriſti Crucifixi imago picta ſit.

Candelabra ſaltem duo, ex auricalco, vel lignea decentia, & ornatè picta.

Tabella precum, quæ ſecretò dicuntur, è regione celebrantis poſita; quæ peracta Miſſa, non erecta, ſed depreſſa ſub tela recondatur; niſi velo decenti, aut aliquo panno ſericeo obducatur.

Mappæ tres; quarum duę vniuerſam menſam altaris; tertia, quæ eſt ſuperior, menſam ſimul, & latera ad ſolum vſq; cooperiat; aliæq; præterea habeantur, vt (cum eę abluendę erunt) mutari queant.

Tela ſtragula, quæ ſuper altaris menſa explicata, à puluere, & ſordibus illam tueatur; & cum Miſſę ſacrificium peragendum eſt, ab altari amoueatur.

Pallium decens, quod vſui ſit quotidiano, ex corio inaurato permittitur; dummodo aliud nigri coloris pro defunctis, atque aliud feſto ipſius altaris conueniens habeatur; ſi ob eius inopiam tot comparari non poſſint ea, quę diſtinctis coloribus, quibus Eccleſia vtitur, ritè reſpondeant.

Puluini duo, vel vnus ad minus; ſuper quo Miſſale collocetur.

Feneſtella in pariete à cornu Epiſtolæ aptè con-

ſtructa

ſtructa ad peluim cum vrceolis collocandam.

Gradus vnus in ſuperficie altaris à parte poſteriori, qui ligneus eſſe poterit, & longitudine menſam æquet.

Altaria, quæ tota opere fornicato non conteguntur, tegumento, vt dicitur Baldacchino, operiantur, vel ſericeo, vel quod è tabulis, aut tela decenter picta conſtet.

Tintinnabulum (niſi è Sacriſtia deferatur) ſit propè altare appenſum; quo miniſter, cum Corpus Domini in Miſſa eleuatur, vti poſſit ad fideles, qui in ęde ſacra fuerint, admonendos, vt Deum reuerenter adorent.

In vnaquaque Eccleſia, vbi commodè fieri poſſit, Sacriſtia, ſi extructa non ſit, conſtruatur.

In ea locus ſit à reliqua Sacriſtiæ parte aliquatenus ſeparatus, cum ſcabello ad genua flectenda ante Crucifixi effigiem, aut aliam piam imaginem, quo celebraturus ſe recipiat, ibiq; pœnitentiæ Sacramento expiari, & pia animi meditatione ad ſacra ritè celebranda præparari poſſit.

Non deſit in ea locus, ſeu vas decens, ad manus abluendas; nec mantile mundum ad tergendas.

In eadem Sacriſtia vnum ſit ſaltem veſtiarium, ſeu armarium, quo ſacræ veſtes, atque alia Eccleſiaſtica ornamenta, & ſacra ſuppellex recondi, ac rectè conſeruari debeat.

Et, vt celebraturo commodum ſit ſacras inde ſumere veſtes, quas induat, menſæ ſpeciem habere poterit.

In ea maneant appēſæ eiuſmodi tabellę; videlicet.

Orationum, quæ Miſſę præparatorię dicuntur.

Aliarum

Aliarum orationum, quæ vnicuique indumento, quod celebraturus induit, ſint accommodatę.

Tabella item, in qua ordine, & Miſſarum, anniuerſariorumq; officia, & aliarum obligationum, conſuetudinumq; illius Eccleſiæ monumenta notata ſint; quæ loco conſpicuo affigatur.

Alia tabella de Indulgentiis eidem perpetuò conceſſis, atque alia de ſacris reliquiis, quæ in Eccleſia reconduntur.

Prę foribus ſacrarii intra Eccleſiam appendatur confeſſariorum approbatorum tabella.

In cęteris ſatisfiat iis omnibus, quæ diuino cultui, ſacriſq; peragendis neceſſaria videri poſſunt; quæue in viſitationibus comparari, aut reparari mandatum fuerit, quantum per Eccleſiarum facultates licebit: ita vt ditiores Eccleſiæ, & quæ frequentiorem habent populum, ornatiores ſint, & ſacra ſupellectili affluentiores.

Oratoria, vel capellę, quæ in titulum dantur, ſi ruinoſæ ſint, ſarciantur, & accommodentur ex eorum fructibus, & prouentibus: quod ſi id præſtari non poterit ob eorum tenuitatem, Ordinario ſignificetur, vt ex Concilii Tridentini Decreto, onera cum titulis aliò, erecta ibi Cruce, transferantur; quod vt quàm primùm executionem habeat, Parochus Epiſcopum de collapſis Oratoriis, vel capellis in ſua Parochia exiſtentibus, commonefaciat. Seſſ. 23. c. 7. de refor. gen.

Eæ verò capellæ, ſeu Oratoria, quæ de cętero profanari contingat; aut quæ profanatæ iam ſunt, ne cui ſordido vſui vnquàm inſeruiant; ſi diruenda ſint, cementa, omniſq; eius ædificii materies, in ipſius Oratorii, vel Eccleſiæ dirutæ ædificium (ſi commodè

M rea-

reædificari poterit) ſin minus: in alterius Eccleſiæ, vel pii loci vtilitatẽ conuertantur; nunquam tamen ad profana ædificia, niſi de licẽtia noſtra, adhibeãtur.

Si in vno altari, vel Capella plures tituli reperiantur; ſumptus fiant communiter ab omnibus pro ratha prouentuum; niſi ex fundatione, legato, alioue iure, vel conſuetudine id oneris aliis adiunctum ſit.

In altaribus laicorum, vel Capellis indotatis ne celebretur, niſi rectè inſtaurata, & prouiſa ſint ad pręſcriptam rationem decretorum viſitationis; quòd ſi pręſtari diu negligatur, demoliantur.

In Oratoriis priuatis, quamuis ritè inſtructis, & prouiſis nullatenus ſacrum celebretur diebus feſtis, antequàm Miſſa, & ſermo Parochialis abſolutus ſit, ne populus à Parochiali Eccleſia auocetur.

In Oratoriis, ſeu altaribus, quæ aperta ſunt, & in via, vel in agris, vel in plateis ſita, nũquã celebretur, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, eo ipſo incurrẽdæ.

Sed ea valuis, aut ligneis ſaltem cancellis à brutorum ingreſſu tuta reddantur, neue facinoroſis hominibus vſui vnquam pateant: & à labe, atque vſu profano, & indecenti immunia cuſtodiantur.

Altare (ſi quod in eis eſt) diruatur; eiuſq; nullum remaneat veſtigium; intus tamen ſacra imago, vel Crux relinquatur.

Ea item Oratoria, in quibus Miſſa celebrata aliquando fuit, ad profanum vſum, abſque legitima facultate non conuertantur.

Cęmeteria (vbi extra Eccleſiam ſunt) muro, aut alia ratione, quàm primùm ita circum ſepiantur, vt beſtiis aditus omninò pręcludatur.

In iis præ alta Crux, lignea ſaltem, erigatur.

Vit es,

Vites, arbores, cuiusuis generis frugiferæ, & vepres etiam ex eis excidãtur; nec olera, aut aliud quippiam in eis seratur; sed munda, & expurgata perpetuò conseruentur.

Clausa semper teneantur, clauesq; penes Parochum, vel eum, qui Sacristię præest, custodiantur.

Defunctorum ossa, si per cœmeteria sparsa sint, ne proterantur, aut pedibus conculcentur; sed simul colligantur, & in aliquo ipsorum cęmeteriorum loco commodo collocentur.

Noua autem cœmeteria absque nostra licentia non construantur; & in ipsis ante benedictionem corpora nunquam sepeliantur.

In sacris tandem huiusmodi locis, ne lignorum strues fiat; ne tigna congerantur; ne cementorum lapidum aceruus sit; nec aliud quicquam loci illius decori, nitoriq; repugnans.

De Ecclesiastica immunitate, & reuerentia in Ecclesiis seruanda, deq; earum cultu, & decore.

Cap. XX.

SI Gentilium olim erga sordida falsorum numinum fana, & execrabiles aras, atque in lapidea, aut ænea principum virorum signa, eiusmodi fuit obseruantia, vt ad ea, tanquàm ad asylum tutò, & cum spe certæ salutis vnusquisque, vel facinorosus, confugeret; quantò maius studium, & reuerentiam, erga Sanctam Ecclesiam, Dei viuentis domicilium, Christianorum hominum esse decet?

Qua re primùm confidimus sęculares omnes Magistratus, & Iudices (quod hactenus factum est) Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum immu-

nitatem integrã, inuiolatamq; conseruaturos; quandoquidem Ecclesias, cœmeteria, aut earum ædes nulla esse ratione violandas, & Ecclesiasticarum personarum libertatem perturbandam, cùm humano, tum diuino iure cauetur.

Cęterùm si quis adeò salutis propriæ immemor temerariè, & impudenter, Dei timore postposito, sacrorumq; locorum nulla ratione habita, delinquentes quoscunque (cuiusuis etiam immanis criminis reos) ex huius vrbis, ac Diœcesis Ecclesiis, monasteriis, sacellis, locisue sacris, & religiosis (etiam ab Episcopali iurisdictione exemptis) ad quę confugerint, inuitos extrahere, seu abducere, sine Episcopi, vel eius Vicarii expressa licentia, & personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis interuentu, aut id mandare, vel eadem in re consilium, vel auxilium pręstare præsumpserit, sciat se, ex constitutione Gregorii XIIII. ipso facto excommunicationis sententiam, & alias censuras, & pœnas incurrere, quę contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticę violatores per sacros Canones, Concilia generalia, & Apostolicas constitutiones sunt promulgatæ.

Incip. cum alias edit. nono cal. Iun. 1591.

Ne autem facinorosi, & perditissimi iidem homines Ecclesiarum immunitate ad delinquendum abutantur, clericis quibuscunque prohibemus sub quinquaginta scutorum, & carceris ad libitum pœna, ne delinquentes huiusmodi ad prædicta sacra loca conuocare, aut requisiti in eis recipere audeant, Episcopo, vel Vicario generali inconsulto: quòd si, ipsis minimè præmonitis, & ignorantibus, seu contra eorum voluntatem eosdem homines ad sacra loca necessitate, instantiq; periculo compulsos ingredi

di acciderit; iidem clerici eiusdem pœnæ periculo quàm primùm id ad Episcopum deferant, vt quicquid immunitati Ecclesiasticæ conuenire existimauerit, decernere possit; vt etiam ad Episcopum ilicò deferent, si aliquis erit, qui delinquentes ipsos, his non seruatis, ex iis sacris locis violenter extraxerit, aut extrahere tentauerit.

Excommunicationis item pœnam eo ipso ex Bulla in Cęna Domini illos subire moneāt Parochi, qui Ecclesiasticas personas absque Episcopali facultate capere, carceri tradere, aduersus ipsas processus formare, aut eas in iudicium vocare minus legitimè pręsumpserint: quique id mādauerint, procurauerint, aut suaserint. Licebit tamen personas ipsas capere absque alia Episcopali facultate, si in flagranti aliquo crimine, carceribus digno, deprehendantur; modò capientibus propositum sit ad Ordinarium suum eas quamprimùm remittere.

Illos pręterea eadem prorsus censura teneri in populi memoriam redigant, qui sine debita auctoritate, aut licentia, vectigalia, collectas, decimas, gabellas, aut alias quascunque laicales exactiones, & impositiones, quouis iure, & quauis causa decretas, à clericis, aliisue personis Ecclesiasticis, immunitate, & priuilegio iure meritò gaudentibus, etiam spontè dantibus, & concedentibus, recipiunt, exigunt, aut exigi procurant quouis modo directè, vel indirectè.

Nos verò hac Synodali constitutione excommunicamus omnes, cuiuscunque status, & conditionis existant, qui Notariis, Cancellariis, Officialibus, Nunciis cęterisq; huius Episcopalis Curiæ Ministris, pro tēpore existētibus iniuriā, & molestiā aliquam ipsius

officii

officij intuitu inferre præsumpserint; aut qui edicta, & cuiusuis generis Constitutiones, ab Episcopo, Vicario generali, aut Vicariis foraneis emanata ab Ecclesiarũ valuis, seu aliis locis, quibus affigentur, amouere, lacerare, aut fœdare ex contemptu ausi fuerint.

Nullæ delictorum inquisitiones, cadauerum inspectiones, aut alia criminalia iudicia in Ecclesiis fiant; sin autem occisorum corpora in Ecclesiam illata inspicienda sint, extra eam exportentur, vbi decet tales fieri inquisitiones.

Nulli ibi cuiusuis generis cõtractus celebrentur, præter matrimoniales, eosue, qui pietatem respiciãt, nulliq; ibidem habeantur laicales conuentus, seu profana consilia.

Nullus in eis, siue clericus, siue laicus (& si patroni sint) ius dicat, aut arbitretur;

Et verò cùm plura olim ad reuerentiam, ac modestiam in Ecclesiis (vt decet) seruandam alii summi Pontifices, & proximè Pius Quintus, sanciuerint; ea omnia, Capitula, Rectores, & Præfecti quarumcunque Ecclesiarum, etiam Regularium omni studio curent inuiolatè obseruari; præsertim cùm Regularibus id in virtute sanctæ obedientiæ mandatum sit.

Pius V. ꝑ suam constit. incip. cũ primũ edit. Cal. Apr. 1566.

Moneant in primis fideles, vt cùm in Ecclesias ingrediuntur, nihil sibi prius faciendum ducant, quàm vt ad sacram Christi Corporis custodiam piè, religioseq; accedentes ambobus flexis genibus similiter Deum adorent.

Inanes, fędeq; collocutiones, immoderatiq; risus, & nugæ, atque huius generis alia nunquam in Domo Dei haberi patiantur; contentionesq; omnes in ea vitentur.

Deam-

Deambulationes item, circuli, clamores, aut importuni ſtrepitus ibidē nō permittantur; præſertim dū diuina celebrantur officia; dum concio, aut ſacra lectio habetur; vel doctrinæ Chriſtianæ opera datur.

Quo tempore ſit item vetitum in cęmeteriis, aut omninò propè Eccleſias centū paſſuū ſpatio, pila ludere, alioſque quoſcunque ludos habere; cùm ex his ſtrepitus, aut vociferationes ſępè oriātur, à quibus ſacra perturbātur, & homines à pietate diſtrahuntur.

Prohibeantur mendici, ne per Eccleſias ob eleemoſinas, quouis pietatis prætextu vagentur; & ſi ad Eccleſiæ ianuam conſiſtant, ibi clamitare, & obſtrepere non permittantur.

Canes, aliaq; bruta animalia in eam, nec inducantur, nec ibidem permittantur; ſed flagello eiiciātur.

Expellantur item interdicti, & excommunicati; implorato etiā (ſi opus ſit) brachii ſecularis auxilio.

Inhoneſtę etiam mulieres ducentis cubitis propè monaſteria monialium, & centum propè oſtia, aut ingreſſus Eccleſiarum degere non permittantur; ſub pœna arbitrii noſtri; quam eos quoq; incurrere iubemus, qui, nobis inconſultis, cauponas, tabernas, ſeu aleatoria in eodē ambitu habuerint; quiue proprias domos ad eos vſus, vel meretricibus locauerint.

Syn. prou. Floren. de immu. Eccleſ. c. 2.

Mulieres habitu honeſto, & nō, niſi velato capite in Eccleſias ingredi, aut ibi permanere permittātur.

In eas nemo baliſtas, haſtas, ferro munitas, aut alia huius generis tela vnquam inferat; aut ea in Eccleſiarum parietibus, foribus, porticibus, aut cęmeteriis deponat, aut appendat.

Cum mulieribus, de quibus ſuſpicio eſſe poſſit, nemo ibi audeat profanè loqui.

Com-

Commessationes, compotationes, choreæ, omnesq; cuiusuis generis ludi, cantus profani, fistulæ, calami, aliaq; huiusmodi musica instrumenta à diuini cultus maiestate abhorrentia, procul sint omni tempore ab Ecclesiis, cęmeteriis, locisq; finitimis; nec inibi vnquam exculenta, aut poculenta vendantur; aut quid aliud venale (etsi ad vsum Sacrificii, vel Ecclesię futurum sit) etiam à clericis proponatur.

Altaribus, Fontibus Baptismi, vel Aquæ benedictæ nemo adhęreat; nemo corpore auerso à sanctissimo Sacramento, seu cùm in Missa extollitur, irreuerenter sedeat, aut stet.

Neque verò quis ibi dormiat, aut aliquo loco Ecclesiæ iaceat; vel etiam in sedibus confessionalibus sedere, morariue præsumat.

Et cùm plerique reperiantur, qui dum Missæ, & alia diuina officia in Ecclesiis celebrantur, & præsertim dũ cõciones habentur, portas, & earũ ingressus adeò occupare non verentur, quòd mulieres quandoq; aut Ecclesias ingredi erubescũt, aut, si ingrediũtur, inhonestè admodum cõtrectantur, in grauẽ fideliũ offensam, ac diuini cultus quasi derisũ; Propterea hac Synodali constitutione pręcipimus, quòd nemo de cętero audeat, vel pręsumat portas ipsas, aut Ecclesiarũ ingressus eo tẽpore, sub excõmunicationis pœna, occupare, seu in portarũ limine immorari, aut quoquo modo dicteriis nutibusue illas lacessere.

Super altaria, lapides consecratos, Crucem, vel alias reliquias Sanctorum, & imagines, aut super Ecclesiasticos libros nemini iusiurandum deferatur, sub pœna excommunicationis, & aliis pecuniariis arbitrio nostro imponendis.

Nemini

Nemini in Ecclesia pro sedilibus imponendis loca perpetuò concedantur; & si cui concessa aliquandò fuerint, sciat se ea præscribere nullo vnquàm tempore posse; prout ea nullo modo præscribi posse declaramus.

Capellę, seu Altaria, seu sepulturæ, quæ per clericos, tum seculares, tum regulares aliquandò irreuerenter solent proponi venales, & ferè (vt aiunt) sub hasta, seu ad incantum, ad visitationis Apostolicæ Decretorum præscriptum, cùm secularibus, tum regularibus clericis pręcipitur, ne in posterum audeāt, vel præsumant capellas, aut altaria, seu sepulturas alicui, quouis titulo cōcedere, seu alias assignare, absq; Episcopi consilio, vel assensu.

Decernitur ad hæc pro Ecclesiarum decore, & nitore, vt quibus in Ecclesiis cubicula, aut eiusmodi loca à superiori parte sunt, in quibus dormiatur, comedatur, aut tale aliquid profanum fiat, vel conseruetur, ipsa cubicula, & loca vel tollantur, vel ad asseruandas res, quæ cultui diuino tantum inseruiant, destinentur; interim verò in ipsis Ecclesiis Missas celebrare, omnibus sub pœna suspensionis à diuinis eo ipso incurrendę sit interdictum; nisi forsan in quibusdam Monialium Ecclesiis, super quarum fornicibus dormitoria habentur, aliud necessitas Episcopo tolerandum suadeat.

In Ecclesiis non vlla domestica supellex, non frumentum, vinum, poma, instrumenta ad prædiorum, rusticorumq; vsum comparata, aut quæuis alia profana res retineatur, sub pœna arbitratu nostro constituenda.

Vasa sacra, vestes, aliaue Ecclesiastica ornamenta

ſacris addicta; aut omnino quidquam ex ſacra ſupellectili profanis hominibus, aut ad profanos vſus nemo commodare audeat; vel illis ad alios vſus, quàm Eccleſiaſticos vti præſumat; Propterea caueatur, ne in exornandis Eccleſiis, capellis, ſuggeſtibus, defunctorumque tumulis caſulæ, pallia, pluuialia, aliaue ad vſum altarium accommodata, aliquo pacto adhibeantur; qui contrafecerit, grauiter arbitrio noſtro punietur.

De Reſidentia.

cap. xxj

CVM præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbiq; diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorũ operũ exemplo paſcere pauperũ, ac miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cętera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui Gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt: ſed, mercennariorum more, deſerunt; Tridentini Concilii Decretis inhærentes, Parochos in primis, cuiuſcunq; ſint illi dignitatis, & gradus, in ſuis Eccleſiis aſſiduè reſidere volumus, ac iubemus degere in domicilio templi, ſi habeat, tuncq; eis nunquàm liceat alibi commorari, abſq; Epiſcopi licentia ſcripta; ſin minus; in alio, quod Parochiæ finibus contineatur, eidem tamen templo, quàm maximè poterit, viciniori; nec illis vnquam licere à ſuis Eccleſiis, præter duos dies non feſtiuos, abeſſe; ita tamen, vt ne amplius quàm ſemel in hebdomada extra Parochiæ fines pernoctent.

Seſſ. 23. c. 1. de re. gener.

Tunc

Tunc verò ne diſcedant, quando in ſua Parochia aliquis ſit, cui morbo laboranti opportuna ad ſalutem remedia debeant adhiberi, ſi nullus ibi remaneat in animarum cura probatus Sacerdos coadiutor, aut Capellanus.

Sed neq; iis ferialibus diebus à ſuis Eccleſiis abſcedant, quibus à frequenti populo, vel ſolennis feſti appropinquante die, vel indicti Iubilei occaſione, ſacrę Confeſſiones, & Communiones habendę ſint; ne ob paſtorum abſentiam oues ſpirituali refectione tunc temporis priuentur, quando ipſorum præſentia maximo illis vſui foret.

Quicunque autem diutius permiſſo, vt dictum eſt, biduo, abſque legitima facultate ſtationes ſuas deſeruerint; præter mortalis peccati reatum, quem incurrunt; beneficiorum etiam fructus pro rata temporis abſentiæ ex Tridentini Cōcilii preſcripto ſuos non faciunt; nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poſſunt; ſed in Eccleſiæ, à qua abſfuerunt, fabricam; aut pauperum illius loci eleemoſinam erogare tenentur. Idque præſtare negligentem, ad exequendum compellet Epiſcopus, à quo, ſi contumacius ille ſe geſſerit, aliis etiā pœnis, & cenſuris ex eiuſdem Concilii Decretis, & Apoſtolicis literis conſtitutis, vſque ad priuationem beneficiorum, ſeruato iuris ordine, plectetur.

d. cap. 1.

Conſt. Pij IIII. incip. In ſuprema edi. 7. Cal. Decēbr. 1564. & alia Pij V. inc. cupiētes ed. 8. Id. Iul. 1568.

Sin contingat Parochis, vltra biduum ex rationabili, & neceſſaria cauſa à ſuis Eccleſiis abeſſe; ſi Arretium; aut coràm Epiſcopo, ſeu Vicario generali ſe quotidie ſiſtant, donec reuertantur; ſin aliò repentina aliqua cauſa proficiſci cogantur, & à ciuitate Arretii vltra tria millia paſſuum diſtent, nimiſq; in-

commodum ſit diſcedendi licentiam ab Ordinario expectare, Plebano illi, ſub cuius Plebatu Eccleſiæ, quibus præſunt, ſitæ ſunt, permittimus, vt decenti ex cauſa per quinque dies continuos, idque ſemel tantum in menſe, abſentiæ licentiam ſcriptam cuiq; concedere poſſit.

Plebanus autem à viciniori Curato eandem licentiam pariter obtineat: nemini tamen vnquam concedatur, quin opportunè prouiderit, ne propriæ oues vllum ex ipſius abſentia damnum accipere valeant.

Quare Plebanis omnibus mandamus, vt accuratiſſimè exquirant, & inueſtigent, an illi, quibus in ſuo Plebatu animarum cura commiſſa eſt, aſſiduè, vt debent, reſideant; ac per ſe ipſi muneri ſuo ſatisfaciãt; eorumq; nomina, qui defecerint, ad nos, ſeu Vicariũ noſtrum quàm primùm deferant. Vicinior item Parochus id ipſum de Plebano exquiret, & Epiſcopo notum faciet: quòd ſi id præſtare negligent, ſeuerè punientur.

Caueant Plebani, vicinioreſq; Parochi prædicti, ne cuiquam longiorem, quàm permiſſum eſt, abſentiæ licentiam concedant; & hanc ob cauſam librum habeant, vbi, quæ præſtabunt, omnia diligenter deſcribant; eorum nobis, & Vicariis foraneis rationem tam in viſitatione, quàm extra, reddituri; qui ſi negligentes fuerint reperti, grauiter corripientur.

Sciant præterea Curati omnes, vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui tantùm cauſa à nobis, vel Vicario noſtro in ſcriptis probanda, niſiq; prius de idoneo Vicario prouiderint, ne interim Eccleſiç obſequium aliquid detrimenti patiatur, abſentiæ licentiam ſe conſequi non poſſe.

Iiſdem

Iiſdem reſidentiæ legibus item ſubiaceant, qui beneficia obtinent, quæ, & ſi curata non ſint, aliquod tamen onus adiunctum habent, quo ipſimet Rectores in ea Eccleſia aſſiduè eſſe debeant, aut ibidem ex immemorabili conſuetudine, vel fundationis, aut quocunque alio iure officium aliquod, in quo ſuæ perſonæ induſtria fuerit electa, pręſtare teneantur.

Eadem reſidentię lege ſe obſtrictos ſciant, qui vel vti ſocii, & coadiutores, Parochis adiunguntur; vel vti Capellani, etiam ad nutum amouibiles, earum Parochialium Eccleſiarum, quæ monaſteriis, dignitatibus, aliiſue Eccleſiis, & piis locis vnitæ ſunt, ad animarum curam gerendam aſſumuntur.

Parochus quoque, cui ob malam valetudinem, aliamue quamcunque ob cauſam ſocius, & coadiutor ad animarum curam exercendam adiungitur, ipſe quoque in propria Eccleſia reſidere tenetur, & quęcunque poterit, munera Parochialia præſtare.

Diſpenſatus verò inimicitię cauſa à reſidentia, ſciat ſe nihilominus ad reſidendum in loco ſuæ Parochię vicino, tutò tamen, teneri; niſi aliud in diſpenſationis literis caueatur.

In illis autem Eccleſiis, vbi plures ſunt, qui animarum curam gerunt, ne ſe reſidentię lege ſolutos arbitrentur, quòd in eadem curatione collegas habeant; ſed ſciāt ſe ad reſidendum perinde teneri, ac ſi vnus tantum ibi eſſet animarum curæ præpoſitus.

In Parochiali Eccleſia, non ſecus ac, ſi verus eſſet Rector, is quoque reſidere debet, cui vacantis pro tempore Eccleſiæ adminiſtratio commiſſa fuerit.

Quoniam verò de habentibus dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones in noſtra Cathedra-

li,

li,aut Collegiatis Ecclesiis,non est eadem quæ,de Curatis ratio; Si vltra tres menses quolibet anno ab eisdem Ecclesiis abfuerint, iuxta Concilium Tridentinum primo anno dimidia parte fructuũ, & prouentuum,quos ratione etiam præbendæ, & residentiæ faciunt suos,priuabuntur;quod si iterum eadem vtantur negligentia, fructus omnes perdent; crescente verò contumacia, contra eos iuxta sacrorum Canonum dispositionem procedetur,

Sessio. 24. c.21.de refor. gen.

Et,nisi in Parochialibus Ecclesiis, si quas dispensatione Apostolica cum Canonicatibus simul obtineant, personaliter resederint, vt tenentur;iisdem,quo ad hoc quibus cæteri Curati Decretis, & pœnis subiaceant.

Licet in ciuitate,vel alio loco,vbi est Ecclesia,assiduè degant, non tamen residere dicuntur, qui Ecclesiæ non inseruiunt, vt debent; nec inseruire, qui extra Chorum, vel in Sacristia, vel in Ecclesia cõmorantur,dum sacra peraguntur; neque item sola corporis præsentia in Choro satis suo quisquam muneri facit,nisi (legitimo cessante impedimento)diuina, ad quæ tenetur, per se ipse obeat, atque Dei nomen hymnis, & canticis reuerenter, distinctè, pieq; laudet,vt latius in præscripta à nobis Chori disciplina est explicatum.

Cum ferendum non sit, quod solennioribus etiã diebus (vt ipsi vidimus euenisse) vt maior Canonicorũ pars,neglecto Chori seruitio,suas eodem tempore deserunt Ecclesias; Decernimus nemini Canonicorum licere, cuiusuis exemptionis prętextu, inscio, vel non consentiente Episcopo, & Capitulo, à ciuitate,vel loco,vbi sita est Ecclesia, & multò minus

à Dioe-

à Diœcesi solennioribus illis diebus discedere, vt prouideri possit, ne plures tertia parte simul, eodemq; tempore Ecclesię seruitium destituant.

De Parochis.

cap. xxi3

VT Pastorum residentia ouibus, quibus pręsunt, quàm maximè fructuosa, & vtilis sit, ad illos in primis pertinet, mores suos omnes componere, quo reliqui ab ipsis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctę humilitatis exempla petere possint; cunctisq; vitę proprię actionibus se muneri suo conformes ostendere, vt non solum verbo, sed etiam exemplo alios instruant. Nec enim est dubitandum, ex præsidentium integritate, subditorum salutem plurimum pendere.

Et quoniam aliqui sunt, qui curæ onere in coadiutorem, seu Vicarium suum reiecto, otiosos se spectatores magis, quàm Ecclesię suę Rectores ostendunt, non tam animarum lucra, quàm propria sectantes commoda; vt vix corporis præsentiam, aliud autem propè nihil Parochię exibeant: Mandamus, vt Curati omnes per se ipsi curandarum animarum onus sustineant: Missas, atque alia diuina officia in suis Ecclesiis celebrent: populum sibi creditum erudiant, eidemq; sacramenta ministrent, ac cętera, quæ suo muneri conueniunt, assiduè præstent, nisi legitimum impedimentum, vel iustas absentiæ caussas probauerint: alioquin, iisdem prorsus pœnis contra non residentes sancitis subiaceant.

Et ne, qui extra vrbem animarum curam gerunt, ab assidua, diligentiq; ouium suarum custodia vn-

quam

quam auocentur; eos ad officia, & onera Fraternitatis Murelli, aut alia eiuſmodi vrbana munera nulla tenus adſciſcendos eſſe decernimus.

Conc. Tridēt. ſeſ. 21. cap. 7. de ref. gen.

In quibus autem Eccleſiis populus ita numeroſus eſt, vt ſolus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrãdis, & cultui diuino peragendo, tot Parochi in hoc munere coadiutores, ſeu Capellanos, vel ſocios ſibi adiungant, quot iudicio noſtro ſatis eſſe videantur.

Nulli tamen Eccleſiarum Rectori liceat ſacerdotem Coadiutorem, ſeu Vicarium aſſumere, aut habere, quamuis ad curam gerendam alias approbatũ; nec ſacerdotes item probati, ſuam in animarum cura operam cuilibet accommodare, aut vltra octauũ diem inſeruire præſumant, niſi facta ſibi ab Ordinario ſcripta eius rei poteſtate; quę præſertim exprimat, cui Eccleſiæ, cuiuſque vice ſint inſeruituri; alioquin, tam Sacerdotes ipſi, quàm Rectores grauiter arbitratu noſtro punientur.

Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de refor. gen.

Cùm inter cętera paſtoralis officii munera ſacroſanctum Miſſę ſacrificium pro iis, quorum ad eos cura pertinet, ipſimet offerre teneantur, iubemus, vt Miſſas in ſuis parochialibus Eccleſiis non ſolum Dominicis, & aliis feſtis diebus celebrent; ſed tàm ſæpe in hebdomada, & præſertim in diebus ieiuniorum, vt ſatis ſuo muneri faciant; eaque hora, qua maiori ſui populi parti inſeruiant. Nunquam, diebus maximè feſtis, Miſſam cuiuſpiam intuitu aut differãt, aut anticipent; etiam ſi ſit Eccleſiæ patronus: aut in ea conciones, aut alia, quæ diei officium, aut feſti celebritas expoſcat, prætermittant; ſub pœnis, ac cenſuris nobis bene viſis, tàm clericis vltro contrafacientibus,

bus,quàm laicis importunè inſtantibus, irrogandis.

Atque vt feſta ſanctorum titularium ruralium Ecclesiarum, eorum videlicet ad quorum cultum, ſanctificationemue ex Eccleſię præcepto,aut ex antiqua conſuetudine, fideles tenentur, congruenti (vt par eſt) dignitate celebrentur,non habita ad id ſacerdotum copia,nullius Eccleſiæ curę addictorum;permittendum videtur tribus, aut quatuor ad ſummum Parochis vicinioribus,vt in propriis Eccleſiis, omiſſa ſacrificii celebratione, ad vicinæ huiuſmodi Eccleſiæ ſolennitatem peragendam accedant; modò ii viciniores ſint,nec flumen, aut quid aliud intermedium extet, quo Parochiani impediantur, quo minus ad eandem Eccleſiam, aut alibi proprius ad audiendam Miſſam commodè conueniant,& hac de re die feſto proximè præcedente populum publicè admonuerint, hortantes, vt omnes pro viribus enitantur Miſſæ ſacrificio intereſſe. vicaria praecariaq; Curtis.

At ſi pręter pręfatos viciniores Parochos,alii quoque ad eandem celebritatem vocati fuerint,liceat accedere, vel poſtquam Miſſæ ſacrificium in propria Eccleſia perfecerint; vel ſi alium habuerint, aut prouiderint,qui partes, aut vices eorum impleat. Contrafacientes, aut populum quacunque de cauſa die feſto Miſſa fraudantes, aurei pœnam qualibet vice perſoluant; & acrius quoque pro rei, & ſcandali grauitate puniantur;quicunque autem ad celebritatem acceſſerint, mundum (vt par eſt) ſuperpelliceum, presbiterale biretum, interioremq; veſtem ad præſcriptum ſecum ſemper afferant.

Prohibemus omnibus,ne ſolennitatum huiuſmodi occaſione lauta cõuiuia, aut ſumptuoſa celebrẽt:

O Itaq;

Itaq; præter prima fercula, quæ vulgo vocantur antipasti (quorum duo tantum concedimus) vnum genus carnium elixarum cum suo iure, & aliud assatarum ad summum; aut si dies sit, in quo huiusmodi vesci non liceat, pisces solùm, aut oua, & vnum, aut alterum lacticinii genus, & totidem fructuum, & pomorum liceat apponere, & nihil preterea, ne prætextu quidem, quòd dono fuerit datum; quicunque verò hunc sobriæ, ac moderatæ refectionis excesserit modum, vigintiquinque librarum pœna, & carceris arbitrio nostro subiaceat.

Sub eisdem pœnis prohibemus præterea, vt ad sacerdotum conuiuia laici nullo pacto tunc admittantur, exceptis musicis, ac ministris; neque solùm domi, sed nec alibi sacerdotis diem festum celebrantis sumptu cōuiuium illis paretur, aut pabula ad equos, vel canes alendos, secum venationis fortè causa adductos, cuiquam laicorum suppeditentur.

Earundem, & maiorum etiam pœnarum periculo clericis omnibus interdicimus, ne ad conuiuia prędicta, aut alia, quæ huiusmodi solennitatum occasione quouis loco fieri contigerit, vmquàm conueniant, si, vt aliquandò euenire percepimus, ea in cauponis, aut tabernis parentur.

Quæ omnia, vt seruentur, tum antiquioris sacerdotis, qui celebritati interfit, tum præcipuè Vicariorum foraneorum, & Priorum Congregationis, si adsint, curæ cōmissum esse volumus. Quæ in eo etiam versabitur, vt mensæ benedictio, & pia aliqua lectio adhibeatur, debita gratiarum actione concludenda; cui postremò immediatè succedat casuum conscientiæ sermo, ac disputatio, vel alia frugi, & honesta tra-

ctatio,

ctatio, à qua ludi, ſaltationes, & huiuſmodi vanitates, quæ in clerico reprehendendæ ſunt, penitus excludantur.

Et quoniam non nunquam euenire comperimus, vt Parochi maiora ſuſcipiant onera, ad cultum debitum capellis, vel oratoriis alienis prçſtandum, quàm vt poſſint ſine fraude ſuſtinere; Volumus, illis nequaquam licere ſine ordinarij licentia gratis obtinenda, neque intra propriæ Eccleſię parietes, neque extra, onus pro alio Miſſam celebrandi ſuſcipere, cum non vno, eodemque ſacrificio pluribus huiuſmodi obligationibus ſatisfiat.

Et vt facilius dignoſcatur, an vnuſquiſque diuina, quæ debet, officia perſoluat; in vnaquaq; Parochiali, vel alia Eccleſia, vbi plures eodem die Miſſæ celebrari debent, liber habeatur, in quo vnuſquiſque, ſiue Parochus, ſiue alius Sacerdos, qui, quo vis obligationis nomine Miſſę ſacrum in ſingulos dies perfecerit, notato prius die, menſe, & anno, manu ſua ſubſcribat, breuiter, & ſimpliciter exponens, ſe illud præſtitiſſe, aut Parochialis Eccleſiæ, aut capellç, legatiuè pii, aut anniuerſarii, aut funeralis officii nomine, aut alias, vt infra, videlicet.

Ego. N. Miſſam celebraui ad altare N. ex obligatione Parochiali, vel ex obligatione. N. aut ex deuotione, &c. Qui contrafecerit, ac ſi non celebraſſet, habebitur.

In eodem præterea libro ſubſcribens teſtetur idipſum Parochus, ſeu Sacriſta, vel alius eiuſdem Eccleſiæ Præfectus, qui item notet, ſi ipſe ſit, qui debitum Miſſæ celebrandæ munus impleuerit.

Referat vnuſquiſque Curatus poſt hanc comple-

tam Synodum in certum Eccleſię librum omnes Miſſas, anniuerſaria, vel legata pia ex veteri loci conſuetudine, aut deuotionis ergò ad tempus, vel perpetuò in propria Eccleſia celebranda, vel à ſe, à Cómunitatibus, à familiis, aut aliis priuatis hominibus; deſcribatque an Miſſarum obligatio quotidiana ſit, an in quibuſdam, hebdomadæ, vel menſis diebus fieri debeat; efficiatque, vt re ipſa præſtetur; eaq; omnia ad ipſorum, quorum intereſt, memoriam ſuo tempore reducat.

Antequàm Parochi Dominicis diebus Miſſam inchoent, aquam (vt in more poſitum eſt) ſolenniter benedicant, qua populum aſpergant, eamque renouent in vaſe pro Eccleſiæ foribus ad hunc præcipuè vſum locato; &, vbi commodè fieri poſſit, adhibito pluuiali celebraturus, etiam ſi in Cathedrali, vel in Collegiatis Canonicus ſit, aut dignitate aliqua pręfulgeat, ſolennem aquæ luſtralis aſperſionem faciat.

Conc. Tr. ſeſſio. 25. de delect. cib. ieiun. & dieb. fe.

Iiſdemq; diebus intra Miſſarum ſolennia, ad quæ maior pars populi cónuenire ſolet, non ſolùm feſtos dies, ac ieiuniorum currentis hebdomadę ad Calendarii Eccleſiæ noſtræ præſcriptum populo denuncient, ſed interdum quoq; ipſum doceant, quæ munera in his colendis ab eo præſtari, & à quibus abſtineri prorſus oporteat.

Eidem præterea ſignificent, atq; indicent ſtationes, & indulgentias promulgandas, congregationes, proceſſiones, diuinaque officia, tàm pro defunctis, quàm alia in ſua, vel vicina Eccleſia obeunda, ſi quæ eiuſmodi in eam hebdomadam inciderint; & mox generalem vnà cum populo faciant confeſſionem.

Interdicta verò paſcua, vt dicunt (diuieto, ò bandita

dita di possessioni, e beni) à curia seculari emanata, aut aliud quippiam, quod profanum sit, & ad animarum salutem non referatur, nunquàm de altari populo pronuncient; sed ea à laicis ministris, quorum id munus est, promulgari sinant.

Ea autem ipsi denunciare non omittant, quæ presentibus constitutionibus populo significari mandantur; potissimùm verò sententias excommunicationis, vel Apostolicis sanctionibus, sacris Canonibus, & Conciliis, vel Synodalibus hisce Decretis latas, vel comminatas vulgari sermone opportunè explicent; quò fideles præmoniti, ab illis caueāt; quod vt faciant, diligentius edoceant interim huius pœnæ grauitatem quàm maximè formidandam.

Nec vnquàm prætermittent, semel saltem in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries, in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicare, & ad Christi fidelium mentes reducere, enunciare, & declarare casus Episcopo reseruatos: Bullamq; solitam legi in die Cœnæ Domini, seu eius transumptum; quem Parochi omnes, & præsertim seculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendas confessiones, quauis auctoritate deputati, penes se habere, legere, & diligenter examinare tenentur, vt eadem Bulla sub finem sancitur; propterea sciant, quòd nemo de cetero (& si alias idoneus fuerit) ad confessiones audiendas admittetur, pro vt neminem admitti sancimus, qui transumptum, seu summarium d. Bullæ, illo vel superiori anno publicate non solùm penès se habere docuerit, verùm quoque casuum in ea contentarum peritiam, seu notitiam aliquā tenere ostenderit.

Qua-

Quapropter frequenter à Parocho hortandus eſt populus, vt Miſſæ in ſua Parochiali interſit; monenduſq; diligenter, debere vnumquemq; (vt ſacra Tridentina Synodus teſtatur) in propriam Eccleſiam diebus ſaltem feſtis conuenire ad Verbum Dei, atq; ad opportunas aliarũ rerũ denunciationes audiẽdas.

Seſſ. 24. c. 4. de refor. gen.

Verbum autem Dei iiſdem diebus inter Miſſarũ ſolennia prædicare, prout ſupra ex Concilii Tridentini prꝫſcripto ſancitur, nunquàm ceſſent Parochi; & ſi multi extent parùm ſuæ ſalutis memores, qui vel cœpta concione diſcedant, vel ei grauatè, & coactè ferè intereſſe demonſtrent, vel ad Miſſam ſe minimè conuenturos declarent, ni à concionando deſiſtant: ſed eos, vbi prius blandis admonuerint verbis, corripuerint deinde, & grauius increpauerint, ſi in contumacia perſeuerare perſpexerint, ad Epiſcopum deferant; vt, contemptus ratione habita, eos meritis pœnis afficiat; & etiam Sacramentorum Cõmunione priuet, vt Conciliorum etiam generalium Decretis iam pridem ſancitum reperitur.

Ead. ſeſſ. & cap.

Parochi ſingulis ſaltem mẽſibus, pro iis, quorum opera, & impenſa erecta eſt, aut redditibus aucta eorum Eccleſia, Defunctorum Miſſam celebrent; niſi pro ratione oneris ſui id frequentius prꝫſtare tenean tur; quod item alios facere decet, qui ſimplicia obtinent beneficia; ſin autem id prætermittant, defunctorum ſaltem officium pro iiſdem priuatim recitare ne negligant.

In quibus Terris, ac Villis populus magnam partẽ circa limina Eccleſiæ frequens verſatur, vnuſquiſq; Parochus in Dominicis, ac ſolennibus feſtorũ diebus cantet in propria Eccleſia Veſperas, & in Quadrageſi

ma

ma Completorium; Cum verò adiutoribus, & cantoribus careat, per se ipse tali vocis tenore, ac sono recitet, vt perspicuè, ac deuotè exaudiri, ac percipi ab omnibus possit.

Sacrorum Cinerum vsus ad significandam, & excitandam pœnitentiam introductus, nullatenus à Parochis prætermittatur.

Sanctum prætereà institutum candelas, ramosq; palmarum, & oliuarum benedicendi, & fidelibus tradendi, statis Ecclesiæ tēporibus religiosè obseruetur. Ea tamen à benedictione reiiciantur, quę interdum procax iuuentus proponit, mox dono amatis offerenda mulieribus.

Candelas autem in die Purificationis Beatæ Mariæ benedictas, singulas singulis in Ecclesia distributas, iubemus ab iis accensas in manibus gestari, qui processionem comitantur, ad libri Missalis præscriptum; Decernentes sub excommunicationis pœna, Decimas Parochis non ideò retineri posse, quòd quis candelam non habuerit.

Veterem illū morem in feria quinta maioris hebdomadæ ædibus, ac domiciliis benedicendis retineant vrbani Parochi; Diœcesani verò, qui morem illum non habent, suscipiant; nisi ex prouincię instituto in aliud tempus illud differre consueuerint, semoto tamen omni turpis quæstus abusu; vt ne de eo, quod piè à fidelibus tunc offerri solet, sordidè pacisci liceat; nemoq; item audeat (quod aliquando factum fuisse intelleximus) id muneris quacunque de causa laicis committere.

Ad Parochi, nec non Sacristiæ Pręfecti curam pertinet, vt vestes, & cuiusuis generis ornamenta, & vasa, quæ

quæ ad ſacra conficienda myſteria adhibentur, mun da ſint: Quare quater ſaltem in anno lauentur Corporalia, Calices, & Patenæ vnaquaque hebdomada tergantur (ablutionis aqua ſemper in Sacrarium pro iecta) altaria ſemel ſaltem in menſe tobaleis mundis ſternantur: quando enim alicubi præcioſiora, aut plura non habeantur, Eccleſiæ forſan inopię; cùm verò ſordida, & coinquinata Rectorum profecto incuriæ, & negligentiæ aſcribatur neceſſe eſt.

Veſtimenta, & ſacra vaſa vetuſtate, & longo vſu, ita detrita, & conſumpta, vt ſacris myſteriis inepta videantur, à Parochis comburantur, & cineres in ſacrario recondantur; nec vmquàm vendantur, donentur, permutentur, aut ad profanos vſus conuertantur.

Laicorum nemini ſacra vaſa, & indumenta, quæ ſacro vſui dicata ſunt, ſe induere, ac ne attrectare quidem, Parochi permittant; nec verò ipſi, aut alius quilibet Sacerdos rebus ad ſacrum vſum comparatis antea vtantur, quàm fuerint ſolennibus precibus ab Epiſcopo, vel ab alio de eiuſdē poteſtate benedicta.

Curent diligentiſſimè Parochi aliarumue Eccleſiarum Rectores, ne laici homines quamlibet ob cauſam, quæ ad Cōmune ſpectet, campanæ ſignis ad ſolam diuinorum officiorū ſignificationem adhibendis, abutantur, quod quidem ſępius Curato, & Rectore etiam non admonitis, accidere ſolet.

Nec vmquàm permittant, vt campanę ipſæ adhibeantur ad homines conuocandos ad ſuppliciorum ſpectacula, aut alia quęcumq; profana; in hoc enim qui deliquerint, ſeueriſſimè pro grauitate culpæ punientur.

Propterea

Propterea vbi campanę ſunt in campanili conſtitutę eius oſtium valuis firmis, peſſulis, & claue muniatur; vbi verò campanile nullum eſt, donec conſtruatur, campanarum funes pendentes, alicubi includantur; & tàm campanile, quàm locus ille, vbi funes includentur, clauſa perpetuò ſint; niſi cum ipſis pulſandum erit; tuncq; per eos tantum pulſentur, ad quos officii ratione ſpectat; claues verò, vt id facilius exequi poſſit, à Parocho, vel à Clerico custodeue Eccleſiæ conſeruentur.

Tàm in Cathedrali, quàm in Collegiatis, & aliis Eccleſiis ter quotidie, veſperi, mane, & meridie, Salutationis Angelicæ ſignum campana detur; doceaturq; populus eam precandi formulam, quæ ad ſingulas campanæ pulſationes adhibenda eſt, vt in calce libelli Chriſtianæ inſtitutionis traditur.

Cùmque ſancta, & ſalubris ſit cogitatio pro defunctis exorare, vt à Purgatorii pœnis quantò citiùs liberentur, hortandus erit à Parochis populus, vt pium hoc officium ſæpius obire ſtudeat; præcipuè cum ſub primam noctis horam in vnaquaque Eccleſia ſignum campanis dabitur; Id quod fieri quotidie ab earum Rectoribus mandamus; & orantibus, præter Pontificias, quadraginta quoque dierum indulgentiam de auctoritate ordinaria perpetuò concedimus.

Quòd ad Cathedralis Eccleſiæ honorem, & dignitatem ſpectat, iubemus, ne prius in aliis Vrbis Eccleſiis ſigna prędicta campanis edantur, quàm earum, quæ ſunt in Cathedrali Eccleſia ſonus fuerit exauditus; at in Diœceſi vbi plures ſunt, Eccleſiæ primarię illius loci expectetur. Id quod potiſſimùm Sabbato

P Sancto

Sancto seruandum erit; quo die campanæ omnes, tàm diu conticescere debent, donec solennis incipiat Cathedralis, vel in Diœcesi primariæ Ecclesiæ campanarum sonitus, sub centum ducatorum pœna in Concilio Lateranensi imposita à Leone Decimo Pontifice Maximo, iis etiam cuiusuis ordinis regularibus, qui contrafecerint.

Eo triduo ante Pascha, quo fragor, & strepitus piè, ac religiosè, summoq; cum mysterio in Ecclesiis fieri consueuit, nullus sit tàm audax, qui obstrependo, aut alio quouis modo diuinum officium impediat, aut turbet; sed, eo tantùm completo, summa pietate tunc faciat, quod fieri instituit pia Mater Ecclesia, pœna excommunicationis eisdem indicta, si doli capaces fuerint, qui huic Decreto contrafecerint.

Parochi intra suę Parochię fines nemini permittant, neque audeant ipsi eam sibi potestatem vsurpare, quæ in ordinum collatione traditur, nomen videlicet Domini inuocandi in eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur, sine scripta Ordinarii facultate. Si quisverò id alias attentauerit, pœnis arbitratu nostro afficietur.

Ea autem potestas iis tantùm erit concedenda, qui illud muneris summa animi pietate, ac religione intra Ecclesiæ parietes solùm, & coràm pluribus honestis personis; &, si mulieres sint, etiam earum parentibus, fratribus, aut aliis proximioribus, gratis obire valeāt; Qui cauere debent, ne vmquàm in ipsis exorcismis vlla curiosa inuestigatio, & quæ præsertim ad diuinationem tendere videatur, interueniat.

Cùm verò indulgentię, quæcunq; illę sint, promul-

mulgandæ erunt, eas non niſi de Ordinarii approbatione ſubſcripta populis promulgare liceat; quos Parochi breuiter, & diſtinctè de iis inſtruant, quæ pro illis conſequendis ab vnoquoque prænoſcenda, & præſtanda erunt.

Verùm ſi quos ſuper indulgentiis abuſus fortè obrepſiſſe animaduerterint, eos Parochi de medio tollant; vel, ſi difficiliores ſint, ad Epiſcopum primo quoque tempore deferant, vt ſalutarem aliquam huic malo medicinam facere poſſit.

Illas autem indulgentias, in quibus pro venia obtinenda manus adiutrices porrigendæ fuiſſent, per Pii Quinti S. M. conſtitutionem iam pridem abrogatas eſſe intelligant.

Incip. & ſi Dominici edit. 6. Id. Feb. 1666. Conc. Tr. ſeſſio. 25. de Indulgen.

Parochi pręter ea, quæ ſuperius ſub capite de Hæreticis, & alibi etiam ſtatutum eſt, de inquiſitione per eos facienda de moribus, & vita eorum, qui ſuæ curæ ſubiecti ſunt, diligenter exquirant; an in eorum Parochiis homines degant, qui in concubinatu viuant, vſuras exerceant, ſimultates, inimicitiaſue graues gerant; qui publici excommunicati, blaſphemi, adulteri, lenones, nefario aliquo ſcelere coinquinati, incogniti, bonorum morum corruptores, Eccleſiaſticarum rerum vſurpatores, huiuſmodiq; notoriis flagitiis, & criminibus irretiti; an item coniuges ſeparatim abſq; iudicio Eccleſiæ cohabitantes extent; & an in gradibus prohibitis; aut alias minus canonicè coniuncti; qui ſi paternè aliquandò correpti, non reſipuerint, ad Epiſcopum ab eiſdem Parochis deferantur, vt qua ratione eorum morbo mederi, & aliorum periculo proſpicere poſſit, maturè deliberetur.

Et quoniam ſæpè euenit, vt mulieres aliquæ innuptæ, quæ vel fragilitate, vel diabolica ſuggeſtione in incontinentiæ ſordes lapſæ, ſi aliquando ſe grauidas redditas fuiſſe percipiunt, ad infamiam, quæ vt plurimum, ſi id detegatur, exoriri ſolet, vitandã, vel abortant, vel ſi partum edant, impiè tamen ipſum etiam abſq; baptiſmo in loca immũda, fœdaq; proiiciunt: vt immaniſſimi huius delicti grauitati (quantùm in nobis eſt) prouideamus, Parochis præcipimus, vt cùm primùm ſuſpicari cognouerint aliquam ex huiuſmodi mulieribus prægnantem eſſe, eam ſecretò ſemel, bis, & quoties opere precium fore cenſuerint alloquentes, blandis, ac paternis verbis admoneant, vt partum cuſtodiat; certa ſe ipſis, & Epiſcopo de eo rationem eſſe reddituram; vtque eò magis ab huiuſcemodi delicto deterreatur, cùm grauitatem pœnæ æternæ, tum temporalis, ſi reſciri vmquàm contigerit, explicent.

Curatum ægrotantem, ſi nullum habeat, vel coadiutorem, vel Capellanum ad curam animarum approbatum; qui vicinior eſt Parochus frequenter inuiſat; ipſiuſq; interim munia, ſi neceſſe ſit, obeat; crebroq; ad eundem redeat, illaq; omnia charitatis officia eidem præſtet & Sacramenta, quæ maximè tunc temporis ad ſalutem neceſſaria ſunt, miniſtret; & ſi morbus in longum protrahatur, Epiſcopo ſignificet; qui, vt Eccleſiæ obſequium nihil interim damni patiatur, prouidebit.

Si verò morbus adeò ingraueſcat, vt vitæ diſcrimen immineat, vicinior ille Parochus, ſi Vicarius foraneus id preſtare non poſſit; ne quid ex bonis ad Eccleſiam pertinentibus pereat, ipſorum inuentarium

con-

conficiat, iis adhibitis cautionibus, & forma in fine capitis de rebus Ecclesiæ tuẽdis inferius præſcriptis.

Decedente autem Rectore omnes eiuſdem Congregationis Sacerdotes ad Eccleſiã illius conueniãt; ibiq; ſacrificium ſinguli faciant; officium defunctorum celebrent; ſupplicationibuſq; ac precibus Deũ orent, vt eum Rectorem eiuſdem Eccleſiæ curationi præficere dignetur, qui pro Dei ſolius gloria, & animarum ſalute, id muneris obire velit, & valeat.

Vt autem deteſtandum duellorum vſum fabricante humani generis hoſte inuentum, & introductum, ac tùm diuina, naturaliq; lege, tùm ſacris Canonibus damnatũ, vnuſquiſq; omnino deuitet; Parochi cùm primùm hæc completa fuerit Synodus, die aliquo feſto, & deinde bis ſaltem ſingulis annis inter Miſſæ ſolennia, conſultiſſimam Clementis VIII. Pontificis Maximi ſanctionem contra huiuſmodi immane ſcelus editam, de ſcripto legant, ac vulgari ſermone explicent, vt in harum Conſtitutionum fine cõperient. Inc. Illius vices edit. 16. cal Sept. 1592.

Præter libros, quos hactenus iuſſimus ab animarum Curatoribus fore parandos, vt in eis baptizatorum, confirmatorum, & eorum, qui matrimonia cõtraxerũt nomina diligenter adnotent; tres alios quoque habeant, in quorum vno animarum omnium intra ſuæ Parochiæ limites degentium ſtatum; in alio defunctorum nomina; & in tertio Literas, Edicta, & Decreta, & alia quæcunque, quæ, vel à Nobis, vel à quibuſuis aliis emanauerint, dummodo ad animarum ſuæ Parochiæ curam, & regimen, ſeu ad Eccleſiæ, cui præpoſitus eſt, ius quomodolibet ſpectent, ac curatè deſcribant; iuxta formulam ad harum Conſtitutionum finem præſcriptam. In initio cuiuſli-

bet ipsorum librorum, materia, quæ singulis continetur, notata sit, vt infra videlicet.

Liber Baptizatorum Parochiæ Sancti. N. seu Cathedralis Ecclesiæ Ciuitatis Arretii, incœptus. Anno Die Mense &c.

Liber Confirmatorum Parochiæ. N. &c.

Liber Matrimoniorum Parochiæ. N. &c.

Liber status Animarum Parochiæ. N. &c.

Liber Registratorum Parochiæ. N. &c.

Liber Defunctorum Parochiæ, N. &c.

De Decimis.

Cap. xxxiij

CVM antiqua illa, & numquàm satis laudata pia consuetudo obsoleuerit, vt Christiani homines non modò frugum primitias, ac Decimas Deo, & Ecclesię Ministris diuina lege debitas, sponte in Domũ Domini importarent, sed multa præterea electa, & optima queq; offerrent: Nos verò in ea tempora inciderimus, in quibus (proh rem deplorandam) adhibitis omnibus iuris remediis vix à quibusdam extorqueri valeant; propterea illos, qui eas Decimas, ad quas de iure, aut de consuetudine tenentur, subtrahere quauis arte moliuntur, aut temerè occupãt, dare recusant, aut dantes impediunt, ex sacro Trident. Conc. excommunicari præcipimus; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolui posse edicimus; cuius rei secunda quaque Dominica Aduentus, & Quadragesimæ à concionatoribus inter concionandum fideles accuratè admoneri mandamus; & à Parochis intra Missarum solennia Decretum eiusdem Concilii in Sess. 25. cap. 12. sub ea verborum forma, quam hic inserendam putauimus.

Non

Non si deono sopportare, ò patir quelli, che con varie arti, & inganni cercano di ritenere, ò non pagare le Decime, che si deono alle Chiese, ò che temerariamente, ò senza ragione occupano, ò vero vsurpano quelle, che debbono pagarsi da altri, e le conuertono in vso proprio, sendo che la soluzione, e pagamento delle Decime sia douuto à Dio; e per ciò quelli, che non vogliono pagarle, ò impediscono che altri non le paghino, occupano, & vsurpano l'altrui. Comanda dunque il Santo Concilio à tutti di qual si voglia grado, ò condizione si siano, che sono obbligati à pagare le Decime, che per l'auuenire paghino interamente quelle, alle quali di ragione sono tenuti, à quella Cattedrale, ò à qual si voglia altra Chiesa, ò persona, alle quali legittimamente si debbono, e che quelli, ò che le ritengono, ò le vsurpano, ò vero impediscono chi l'ha da pagare, si debbino scomunicare, ne si assoluino da questo peccato, e delitto, se non doppo che haueranno interamente restituito, e sodisfatto.

In oltre il medesimo Concilio nello stesso capitolo esorta ciascuno, che per carità Christiana, e per l'obbligo, che deue tenere, & hauere co' suoi Pastori, e Curati, non gli paia graue souuenire largamente di quei beni, che Iddio gli ha dati, à laude, & honore di S.D.M. quelli Rettori, e Curati, che con le poche entrate loro non possono conseruare, e mantenere conuenientemente, & honestamente se stessi, e le Chiese loro.

Cùm exigui iam, & paucissimi ob inutiles olim factas alienationes, & vsurpationes Ecclesiis supersint redditus, ne aliquid quotidie etiam ex Decimis ob

exi-

exigendi difficultatem contingat amitti, ad eas Decimas, quæ Ecclesiis debentur, facilius cõsequendas; Decernimus, vbi Decimæ pro dimidia parte à Colonis frugum participibus, & prò alia dimidia à prædiorum Dominis debentur, actionem in solidum tàm contra Dominos, quàm contra Colonos ipsos Ecclesiarum Rectoribus competere; quo circa etiam contrà alterutros semel prius in ius vocatos, nisi soluerint, literas concedi grauatorias continuò debere.

Sin Parochi in exigendis Decimis negligentiores fuerint, quàm par sit, seueris subiiciãtur Episcopi arbitrio pœnis; cui propriæ negligentiæ sciant se rationem reddituros; si tamen aliquos ita pauperes, atq; inopia laborantes repererint, vt iis ob eleemosinam benignè condonandas existiment, id in accepti codicem referant, vt hoc factum à nobis iure meritò commendandum, nullo vmquàm tempore Ecclesiæ fraudi, ac detrimento esse possit.

Vt rixis & dissidiis omnibus, quę plerunq; inter Parochos oriri solẽt occasione illarum Decimarũ, quę ab eis solui debent, qui domiciliũ de vna in aliã Parrochiã mutant, aut certa quadã anni parte modo in vna, modo in alia Parrochia degunt, aditum præcludamus; Statuimus, vt, hoc casu eueniẽte, inter huiusmodi Parochos Decimę ab eis debitæ partiri, & diuidi debeant, temporis supputatione, & ratione habita quo maiori, vel minori temporis spacio in vna, quàm in altera Parochia illi habitauerint.

At Arretini Ciues, aliiue cum Florentini tum Senenses, & si alii sint, qui vel totum annum, vel maiorem anni partem ruri, aut in pago aliquo Arretinæ Diœcesis cum tota, vel maiori parte familiæ suæ habitent,

bitant, & commorantur, Decimas ad præſcriptam rationem ei Parocho omnino ſoluant, intra cuius Parochiæ limites familiam habuerint.

De Miſſæ celebratione. cap. xxiv.

SACERDOS Miſſæ ſacrum facturus, ſi mortalis ſibi peccati ſit conſcius, ita priùs Pœnitentię Sacramento conſcientiã purgare diligenter ſtudeat, vt ad altare animo impuro, illotiſq; (vt dicitur) manibus non audeat accedere: Neque enim ſola contritio ſatis erit, vbi confeſſarii copia poſſit haberi; quæ tamen ſi deſit, & celebrandi neceſſitas vrgeat, ſummum interim concipiat peccatorum dolorem, atque deinde curet quàmprimùm confiteri.

Vt hoc ſanctiſſimum Sacrificium tàm interiori, quàm exteriori (vt decet) pietate, ac religione peragatur, ſecũ ipſe celebraturus tanti miſterii præmeditetur diuinitatem, & fructum: Deumq; oret enixè, vt eum ſibi ſpiritum largiatur, quo dignè illud offerre valeat.

Orationes item, quæ ad Miſſam præparatoriæ dicuntur, pro temporis opportunitate prælegat; numquàm autem ſacris indumentis accommodatus.

Miſſam accuratè pręuideat totam, vt pontificias indulgentias conſequatur, atque adeò reliqua præparet neceſſaria, vt ad altare nullus ei contingat error, nulla hęſitatio.

Sacerdotes ſeculares, & Canonici celebraturi, ſi rocheto vtantur, ſuper illud; ſin verò, ſuper cottam ſacris ſemper veſtibus induantur ad Miſſalis præſcriptum, ſi id commodè fieri poſſit; atque adeò prę-

cingantur, & accommodentur, ne ad tantum mysterium obeundum inepti procedant.

Sacris vestibus indutus nullo modo in sacrario deambulet; non ad ignem, aut ad alios quos vis circulos accedat, vt cum vllo profanè colloquatur, vana loquentibus non det aures; sed mentem, atque oculos ab iis rebus contineat omnibus, quibus iam concepta religio distrahi possit.

Iisdem vestibus accommodatus nullius confessionem audiat, aut ipse sua peccata confiteatur; sed id præstare curet, antequàm illis induatur.

Celebraturus (nisi regularis sit) ad altare sine bireto numquàm accedat, neque à Sacristia exire permittatur ab eo, qui illi præest.

Sacerdotem ad altare incedentem præcedat Minister, qui, vbi fieri possit, Clericus sit, & cotta super veste talari indutus, Missale, luminaria, aliaq; necessaria deferens; ne, re aliqua deficiente, mora fiat Sacrificio, aut per Ecclesiam deinde cursitare contingat.

Inter eundum ad altare; vel redeundum neminem salutet celebraturus; neminiq; respondeat salutanti; ipsi verò omnes tàm Clerici, quàm laici, iuxtà quos præterit, detecto capite assurgant.

Sacerdote rem Diuinã faciente, ne per Ecclesiam vagetur Minister; Neq; candelas vendat, Nec cum aliquo colloquatur, nec horarias preces, aut aliud quippiam de libro recitet; sed modestè Sacerdoti assistat, & in omnibus, quæ ad ipsum spectant, prestò sit; Peractoq; sacrificio eidem præeat redeunti; cùmq; Sacerdoti respondet, præproperam illam celeritatem deuitet, quæ à tanti sacrificii dignitate, & cultu maximè abhorret.

Si quos ex aſtantibus colloquentes audierit, aut cum irreuerentia ſacrificii intereſſe animaduerterit; illos modeſtè admoneat, vt ſilentium adhibeant, & reuerenter interſint; Si quem verò publicè ab ingreſſu Eccleſiæ interdictum, ſuſpenſum, aut etiam notoriè excomunicatum cognouerit, qui ab eo monitus non diſcedat, celebrantem admoneat, vt ſi non dùm Sacer Canon cœptus fuerit, à Miſſa proſequenda deſiſtere valeat.

Nullus in Miſſæ ſacrificio ſubbiretum in capite retineat abſq; debita Epiſcopi ſcripta licētia: tuncq; ab offertorio, ſeu ab ea parte, quę Canon dicitur, vſq; quò ablutionem ſumpſerit, ſemper maneat capite denudatus; ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis: Quam eo ipſo incurrere declaramus eum, Qui etiā in Miſſis Maioribus dum ante Altare ſtat, licet in Choro Angelorum Himnus, Apoſtolorum Symbolum, aut Moctecta, aut quid aliud cantetur, biretum in capite retinere pręſumpſerit.

Subbiretum, aut biretum, chirotecæ, ſudariolum, aut id genus aliud in Altari ne ponantur.

Anulum in Miſſæ ſacro, vel ij deponant, quibus eo vti alias licet.

Miſſam celebrare nemo aggrediatur, niſi abſoluto ſaltem Matutino, paratiſq; ritè omnibus, atq; accenſis ad minimū duabus candelis ita decentibus, vt tota Miſſa ſint durature; quæ niſi abſoluto, quod in fine dicitur, Euangelio, à Clerico non extinguantur.

Certum illum tredecim candelarum, ſeu alium numerum, qui quandoq; in Miſſa ſuperſtitiosè adhiberi ſolet, nullus Sacerdos ſub pœna excomunicationis permittat. Conc. Tr. loco infra citato.

In Missę sacro peragendo ritus, ac cęremonias in Missali traditas ita plenè obseruent omnes, vt nihil penitus iis, quæ secretò, vel palàm dicenda sunt, addant, vel detrahant.

Quæ palàm pronuncianda sunt, nõ depressa; quæ secretò, non elata voce legant; nec ea memoriter proferant, præsertim sacrum Canonem, in quo, vel leuia errata grauiora censentur.

Caueant ne nimia tarditate, aut festinatione, siue indecoro corporis motu circunstantes offendant.

Conc. Tr. sessio. 22. De obs. & euitan. in celeb. Miss. Syn. prou. Floren. de cele. Miss. cap. 7.

Missę sacrum nec ante auroram, nec post meridiẽ, nisi ex causa iure permissa: nec verò bis die, prę-terquàm in celebritate Natiuitatis Dominicæ, quisquam obeat; cùm valdè beatus censendus sit, qui semel illud dignè præstare possit; qui contrafecerit, sit à ministerio altaris, quàm diu Episcopo placuerit, suspensus, & graui alia animaduersione suo arbitrio etiam puniatur.

Conc. Tr. vbi supra.

Ignoti, & vagi Sacerdotes in Ecclesiis etiam regularium nostræ Diœcesis Missam celebrare nõ permittantur, absq; nostra, seu Vicarii nostri generalis, aut illorum, qui per Diœcesim ad hoc munus constituentur, scripta facultate; ii verò eam non concedẽt, nisi priùs eis dignum fidei testimonium recẽs Ordinarii sui ostendatur, ex quo eos ordines suscepisse, in eorumq; administratione piè, ac religiosè versatos esse constet; nihilq; etiam tunc habere impedimẽti, quò minus celebrare possint; qui autem ex viciniori aliqua Diœcesi sunt, ad breue tantùm tempus, vt puta trium, quattuorue dierum, modo noti sint & notoriè non criminosi, aut censuris innodati, tantum admittantur; tuncque si habitu clericali fue-

rint

rint induti, & conuenientem tonſuram habeant.

Regulares quoque ignoti, & peregrini in Eccleſiis ſecularium ſine ſuorum ſuperiorum commendatitiis literis recenter confectis, &, vt ſupra, recognitis, quæ de ſuſcepti ordinis, & præſtitę in illo functionis fidem faciant, celebrare non permittantur.

Miſſam nouam celebrare nemini liceat, niſi cęremoniarum Magiſter, ſeu alius à Vicario generali eligendus de eo periculum fecerit, an ex noui Miſſalis præſcripto ritus omnes optimè calleat; cuius rei etiã ſcriptum eidem Vicario teſtimonium exhibeat, vt ab eo comprobetur.

In Miſſis nouis nullæ adhibeantur ſaltationes, nulla ſumptuoſa conuiuia: importunas verò, atque illiberales eleemoſinarum exactiones, potius quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, ex Concilii Tridentini præſcripto, omnino prohibemus. Cõc. Trid. vbi ſupra.

Cumq; non ſine ingenti animi noſtri moleſtia acceperimus eò vſq; progreſſam eſſe quorundam clericorum nequitiam, & impudentiam, vt poſt nouam Miſſam ſemel celebratam, alibi nouæ Miſſæ ſolennitatem iterum cum fidelium deceptione, ad extorquendas forſan ab iis copioſiores eleemoſinas ſimulauerint; præſenti Decreto illos, qui id facere præſumpſerint à Miſſarum celebratione ipſo facto ſuſpendimus.

Oblationes vero (vt aliquando ſolet) accepturus, nullo pacto per Eccleſiã eo tempore vagetur, ſed in imo altaris gradu cõſiſtens, aut alio loco Eccleſiæ cõ-

modiori,

diori, quod ſponte offertur, accipiat; Crucem interim accedentibus, Manipulum, aut Sanctas Imagines porrigat deoſculandas; Patenam autem, aut ſacras Reliquias nunquàm.

Et vt omnis indecorus tumultus ab Eccleſia, dum Diuina peraguntur, abſit; Qui oblationes quouis modo facturi ſunt, ordine accedentes, modeſti recedant: Immunda interim Animalia, vel cenſus, ſeu oblationis nomine, aut ſimile quidpiam, quod riſum mouere poſſit, aut à re Diuina animos auocare, nulla ratione in Eccleſiam introducantur, non obſtante quacunq; conſuetudine, quę potius abuſus, & corruptela cenſenda eſt.

Scurrilitas omnis, aut obſcena modulatio, quæ animos audientium à rerum Diuinarum contemplatione ad laſciuiam traducere poſſit, inter Miſſarum ſolennia conticeſcat.

Mulier, quàmuis annoſa, Sacerdoti in Miſſæ ſacrificio nunquàm inſeruiat; nec filius, etiam legitimus, Patri celebranti Miniſter adhibeatur.

Nemini item dum Miſſæ ſacrificium offertur, aut aliis rebus Diuinis datur opera, extra Eccleſiæ limina, aut in foribus liceat conſiſtere, niſi ob populi multitudinem in eam ingredi non permittatur, cuius rei ſępe numero populum Parochi præmoneāt.

Quęcunq; huic vſui dicata ſunt, vt Mappæ, Corporalia, Sudariola ad purificationem inſtituta, & huiuſmodi, quo ad eius fieri poſſit, munda ſint; ſordes enim nulla ratione in iis ferendæ ſunt.

Hoſtiæ de mundiſſimo flore farinæ adhibeantur, quæ ſculptam Crucifixi imaginem habeant, & conſpicuam, iis prorſus reiectis, quæ quibuſdam Cara-

 cte-

cteribus literarum nomen Iesu indicantibus, sunt signatę; Vinum item (vbi possit) album sit, & non ita decoctum, vt Vini species in sapam mutata appareat.

Nullus posthac cuiuscunq; sit gradus, vel dignitatis sacrificium Missæ celebret, aut celebrari faciat in priuatis ædibus, aut aliis locis, præterquam in Ecclesiis, & Oratoriis Diuino cultui dicatis, & ab Episcopo designatis, seu visitatis. Qui contrafecerit Sacerdos per sex Menses suspensus ab altaris ministerio habeatur, & aliis pœnis arbitrio nostro puniatur; alii verò excommunicentur, & graui etiam pecuniaria pœna mulctentur. Conc. Tr. vbi supra

In Ecclesiis item Sanctimonialium, nemo sacrum facere audeat, facultate ab Episcopo non impetrata; qui verò id obtinuerit, Moniales non alloquatur, nisi & id sibi scripto concessum sit; quæ tamen ad Missæ sacrificium necessaria sunt, ab iis, quæ Sacristiæ præsunt, petat.

Vbi plures sunt Sacerdotes, qui vel in eadem Ecclesia, vel in eiusdem Parochiæ finibus quotidie Missam celebrent, tunc ferialibus diebus, & professtis vna in aurora; reliquæ verò debito interuallo distributæ dicantur; ita vt postrema tardius quo possit (si sic populi commoditas postulet) semper celebretur.

Quando in eadem Ecclesia plures eodem tempore Missę interdum, etiam pro defunctis, celebrandæ sunt; si commode effici potest, in Altaribus ita inter se disiunctis celebrentur, vt alter Sacerdos alteri impedimento non sit: Sin autem, submissiori voce dicantur.

Id tamen vbique seruetur, ne eodem tempore in duobus altaribus è regione positis sacrum fiat, vt cõsecratione peracta, tàm celebrantibus, quàm iis, qui Missæ intersunt, non contingat verso tergo ad sanctissimum Sacramentum parùm reuerenter stare.

Syn. prou. Flor. de celebr. Miss. cap. 6.

Dominicis, & Festis diebus in Confraternitatibus, & Societatibus laicorum, quocunque nomine nuncupatis, aliisue simplicibus Ecclesiis, & Oratoriis nulli liceat Sacerdoti Missam celebrare, antequàm Parochus, in cuius Parochiæ finibus Ecclesiæ illę, Oratoria, & Confraternitates sitę sunt, Missam absoluerit; nisi vel nostra, vel ipsius Parochi facultate obtenta; alioquin, Sacerdotes celebrantes per duos menses à diuinis suspensionem incurrant, & Gubernatores, Rectores, & alii dictorum locorum Ministri, si correcti non paruerint, pœnis, & censuris arbitratu nostro infligendis subiaceant.

In Missis illis, quę cum Ministris, Diacono videlicet, & Subdiacono, tunicellis vestitis, cantantur, in ciuitate, & locis Diœcesis insignibus, & vbi clerici Ordinibus insigniti non desunt, nullus ad ministerium huiusmodi audeat accedere, nisi sit eo ordine initiatus, quem sacrę vestes prædictæ designant; alibi verò licebit assumere clericum minorum ordinum, qui absque Manipulo Epistolam canat, quam, vt Euangelim quoque, ad Romanę Ecclesiæ concentum decantari iubemus.

E' Sacristia nullus exeat celebraturus, qui certior factus non fuerit, ea omnia esse parata, quæ ad Missæ celebrationem necessaria sunt; tuncq; cùm ad altare accesserit, caueat, ne in gratiam cuiusquam ab incipienda Missa supersedeat; aut, nisi in casibus à iure

per-

permissis, inceptam repetat, aliaue ratione contra rei ſacræ decorum, aut populi vtilitatem alicui obſequium præſtet.

Eam verò ne incipiat vmquam, niſi prius, qui interſunt decenter compoſito corporis habitu declarauerint, ſe mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe.

Cum Euangelium illud, quod in fine Miſſæ dicitur, legit, caueat ne Calicem abſtergat, ne corporalia, aut purificatoria colligat, neue Calicem accommodet; ſed iunctis manibus in cornu Euangelii conſiſtens, illud concludat; nulliq; reuerentiam faciens (niſi coràm Epiſcopo celebret) iis ſeruatis, quæ in Miſſali habentur, ad Sacriſtiam, ſeu locum illum, vbi ſacræ veſtes deponendæ ſunt, redeat. Cōc. Trid. vbi ſupra.

Cùm hac noſtra tempeſtate rerum precia adeò excreuerint, vt vix Sacerdotum egeſtas ſubleuari poſſit, & in ciuitate noſtra Arretii, aliiſue quibuſdā Arretinæ Diœceſis locis pro Miſſa quinque ſolidi tantum eleemoſinæ nomine ſacerdotibus dētur, qui ad panem dūtaxat cōparandum pro illius diei alimento eis ſatis eſſe non poſſunt; noſque non ignoremus nullibi tam tenues eleemoſinas perſolui; Propterea hortandos, & monendos duximus fideles, vt vbi ex laudabili conſuetudine maior eleemoſina dari non ſolet, diebus ferialibus groſſum vnum; diebus Dominicis, & feſtis groſſos duos: ſolennibus verò groſſos tres pro qualibet Miſſa Sacerdotibus benignè elargiantur.

De Chori disciplina.

cap. XXV.

CVM Horarum Canonicarum recitatio, si ea pietate, ac disciplina in Choro præstetur, quæ loci dignitati, sacris precibus, & Diuinæ Maiestati, cui offeruntur, religiosè respondeat, inter præcipua Clericorum munera iure ponenda sit; omnibus idcircò, quorum Chori seruitio fructus, aut distributiones sunt assignatæ notum facimus, & edicimus, se sola præsentia illas nequaquàm lucrifacere; neque satis esse, paucis quibusdam Clericis, tenui mercede conductis, curam Diuini Officii committere; sed teneri obtinentes in Cathedrali Ecclesia, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, Diuina per se obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere, & inseruire; atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, pieque laudare.

Conc. Tr. sessio. 24. cap. 12. cõstit. Pij V. inc. ex proximo edi. Calẽ. Oct. 1571.

Hortamur eosdem in Domino vehementer, ne lucri tantùm causa Diuinis intersint; at potius, vt ipsorum mens, & intentio tota in Deum præcipuè referatur, ne sibi illud Isaiæ obiici possit, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; siquidẽ id ab horrendo mentalis simoniæ vitio haud quaquã abesset.

Optamus insuper, vt ad Diuina peragenda officia se ita componant omnes, vt tàm voce, quàm mente gratum Deo cultum exhibeant; labiis enim solis honorare, corde autem lõge abesse, aliud nihil est prorsus, nisi homines fallere, & Deum potius irridere, quàm laudare.

Summa

Summa itaque animi attentione, & alacritate debitum quiſque talis ſeruitutis penſum debet abſoluere, incuria omni, & negligentia, vel leui, procul fugata; cum in ſcripturis maledictus ſit, qui Dei opus negligenter facit.

Horæ omnes Canonicæ quotidie in Choro celebrentur ad præſcriptam ſingulorum dierum officii rationem, quæ quotannis iuſſu noſtro editur; nec item omittatur recitatio reformati Officii B. Mariæ, aut Defunctorum, ſeu Pſalmorum Gradualium, vel Pœnitentialium, quibus diebus in Rubricis Breuiarii id fieri præſcribitur, niſi iuſtum accidat impedimentum, cuius noſtrum ſit iudicium.

Omnes, qui in Choro Diuinis Officiis intereſſe debent, audito campanæ ſigno, ſuo tempore ad Eccleſiam accedentes, è Sacriſtia ſumptis cum clericalibus biretis, ſuperq; talari veſte, ſuperpelliceis mundis, vel Rocchettis, & Cappis, aliiſue prout perſonæ dignitas, & conditio expoſcit, bini ad altare procedant; cui ſe humiliter inclinent, prælato, ſi adſit, reuerentiam faciant, ſeque ipſis ad inuicem conſalutatis, ſuum quiſque in Choro locum adeat, vbi flexis genibus, & ſubmiſſa voce Orationem ſaltem Dominicā dicant; & cùm primùm ſinguli, eo ordine in Chorum peruenerint, & orauerint, inchoato per hebdomadariū Pater noſter, ad initiū officii omnes ſurgāt.

Qui verò interim in Eccleſia, vel circum eam, vel in Sacriſtia, aut alibi cunctabuntur, ſeu ordine præſcripto cum aliis Chorum ingredi neglexerint, aut de induſtria iam inchoato officio aduentum ſuum diſtulerint vſque ad tempus puncto præfinitum, abſentis loco habeantur; &; creſcente contumacia,

grauiori pœna Episcopi arbitratu puniantur.

Si quis autem, aliis in Choro iam consistentibus, aduenerit, modestè, & grauiter incedat, genua in medio Chori flectat, & se humiliter inclinet, hinc inde cōsidentes salutet, & ad locum suum pergat; idemq; ab illis præstetur, qui, cùm aliquod munus in Choro, seu alibi in Ecclesia obierint, ad suam reuertuntur sedem. Canonici verò, ac reliqui in Choro existentes, nudato capite illis assurgant.

Quicunque in Missa ante finem Kyrieeleison; In Matutino ante finem primi Psalmi post Hymnum; In Vesperis ante finem primi Psalmi; & in aliis Horis ante finem Hymni ad Chorum non conuenerit, aut ibidem ad finem vsque, nisi iusta causa à Superiore, seu præfecto Chori; & si nullus eorum aderit, ab eo, qui primum tunc locum obtinet in Choro, dimissus fuerit, non permanserit, &, dimissus, re perfecta ad Chorū confestim non redierit, pro absente habeatur, & illius horæ, & officii stipēdiis careat.

Matutinum Officium, summo mane, seu in ortu Solis inchoetur, præterquam in Natiuitate Domini, in triduo ante Pascha, & per octauam Solennitatis Sanctissimi Corporis Christi, quibus diebus iuxta morem, & ritum Ecclesiæ dicatur.

Primæ verò Horæ officium (si Matutinum de mane recitabitur) statim post Laudes celebretur; alioquin, post ortum Solis.

Aliæ autem Horæ debitis temporibus ad Missalis noui præscriptum pro dierum ratione celebrentur; ita vt diebus festis tertia tota perpetuò canatur, vt etiam Apostolica visitatione cauetur.

Vesperarum item officium quotidie stata hora dè

cantetur; Completorium verò statim post Vesperas recitetur, prçterquàm in Quadragesima; quo tempore vigesima prima diei hora celebrari mandamus.

Matutinum, tàm in Cathedrali, quàm in Collegiatis, aliisue Ecclesiis, in quibus vel quotidie, vel aliquãdò recitari solet, illis diebus festis, qui solẽnes in ipsis Ecclesiis nuncupantur, aut solenniter celebrantur, totũ semper inuiolatè canatur: Aliis verò tum Dominicis, tum festis ex prçcepto Ecclesiæ, aut locorum consuetudine coli solitis, sat erit decantare inuitatorium cum Psalmo, Venite exultemus, Canticum Te Deum laudamus, cum Cantico Benedictus, Antiphonamq; ipsius, & Orationem.

Dum Matutinum, aliaue Diuina Officia celebrantur, qui Missæ sacrum Ecclesiæ aliqua ratione debitum priuatè interim peregerit (nisi accersitus ob populi commodum, quòd nullus sit, qui sacrum faciat) distributione illius officii omninò careat.

Qui verò solennem Missam peracturus est, si est Choro addictus, tàm diu à Choro abesse permittitur, dum commodè sacras vestes induat.

Neque distributiones percipiant, qui infirmitate, necessitate, aut manifesta Ecclesię vtilitate occupati, impeditiue Choro non intersunt, si antea, nullo legitimo impedimento detenti, personale sui Canonicatus, præbendæ, aut beneficii munus obire non consueuerunt.

Illum quoque distributionibus omninò carere iubemus, qui absque licentia nostra, quo vis tempore, pileo in Choro vtetur; eos item, qui in Cathedrali, & Collegiata Ecclesia Ciuitatis ad canendum de more graduale, aut gradualium versus inuitati, eo-

dem

dem tempore ſimul à ſuis ſedibus diſcedentes, ad librum non accedent.

Pœnitentiarius autem, itemq; Manſionarius, Animarum curæ præfectus in Cathedrali; in Collegiatis verò, qui curæ præeſt, dum in audiendis confeſſionibus, vel aliis Sacramentis populo adminiſtrandis verſantur, omnium ſint diſtributionum participes, ac ſi tunc temporis in Choro præſentes eſſent.

Pręſentes item cenſeantur cęremoniarum Magiſter dum in Eccleſia, vel in Sacriſtia, vt ea diſponant, quæ ad ſuum munus ſpectant, commoratur; Examinatores, dum examinandi officium obeunt; Epiſcopaleſq; Viſitatores, dum actu Epiſcopi iuſſu in viſitatione verſantur.

A Choro, qui locus diuinis tantùm laudibus dicatus eſt, procul omninò ſint riſus, ioci, rixæ, vana, ſeu profana colloquia.

Ibidem pro temporis, & officii ratione ex inſtituto, & more Eccleſiæ æquè omnes ſedeant, ſtent, flectant genua, caput aperiant, & inclinent, cæteraque id genus accuratè ſeruent, prout loci, & functionis ratio poſtulat.

Dum in Hymnis, Pſalmis, & Canticis ſuis vicibus Organo canitur, omnes eorum verſiculi diſtinctè interim ab aliquo pronuncientur, vt à cęteris intelligantur; Cùm autem Apoſtolicum Symbolum canendum ſit, organa conticeſcant; Symbolum verò cantu perpetuo recitetur, idque non in Cathedrali Eccleſia, & Collegiatis tantùm ſeruetur, ſed vbique per Ciuitatem, & Diœceſim.

Nemo in Choro, vbi communi officio opera datur, priuatim officium dicat; Nemo literas, aut alios

libros

libros legat, qui ad ſancta, quæ ibi canuntur, minimè ſpectent.

Nemo dormiat, aut incompoſita corporis diſpoſitione,geſtuue indecenti maneat; Nemo flores, roſas,aut alia id genus,leuitatem, vanitatemque præſeferentia, geſtet; Nemo per aliorum ſubſellia vagetur,aut faciem ab altari, ſeu Choro diuertat.

Omnes tandem qua decet, pietate, ac religione, non feſtinanter,non oſcitanter, non ſe inuicem præuenientes,aut verſiculos præoccupantes; ſed æqualib.inter ſpirationibus diuinas laudes concelebrent.

Quòd ſi quis, cuiuſque ſit ille dignitatis, aut gradus, aliquid contra ſuperius præſcriptam Chori diſciplinam commiſerit, aut omiſerit, pœnas pro modo culpæ arbitratu noſtro dabit; præmonitus, grauiores: Et qua parte horarias preces, aliaq; diuina officia decantare,aut recitare,functioneſque alias proprio ordini congruentes, ſeu dignitati annexas pręſtare neglexerit, fructus, aut diſtributiones ſibi alioquin contingentes, tuta conſcientia percipere non poſſe; &, ſi acceperit, reſtituendas eſſe declaramus, vltra graue peccatum, quod committit.

Diſtributiones verò prædictæ eis ſemper cedant, & accreſcãt,qui,cum præſentes ſunt, ſuum debitum munus obeũt; niſi ex Eccleſię cõſtitutionibus ipſius Eccleſiæ, ſeu Sacriſtiæ lucro cedere debeant; idque omnibus prorſus diminutionibus, remiſſionibus, cõdonationibus, pactis, colluſionibuſq; ſemotis; quas omninò interdicimus, & prohibemus; Licet(quoad Archidiaconum Primicerium, & Canonicos Cathedralis Eccleſię)qui omnibus Horis Canonicis,aliiſue functionibus Eccleſiaſticis in ipſa Cathedrali perſol-

uendis singulis diebus in Choro conuenire debent, donec à Sanctiss. Domino nostro obtineant exemptionem à seruitio saltem per tres menses in anno, interpellatis tamen vicibus, & diuersis temporibus, vt habetur in decreto desuper confecto, per Illustrissimam, sacramq; Congregationem, super negociis, & consultationibus Episcoporum constitutam, in Congregatione habita die xviij. Decembris 1595. & iussu nostro ipsis Dignitatibus, & Canonicis intimato, die xv. Ianuarii, & alias die vij. Octobris anni sequentis 1596. quo ad dicti Decreti præscriptum singulis horis proportionatas assignauimus distributiones) ea omnia inuiolatè seruari iubemus circa distributionum amissionem, lucrorum assignationem, & applicationem, quæ in ipso Decreto designationis decernimus, & sancimus.

Excipimus tamen distributiones illas, quas ex præbendis præpositurae Cathedralis, & Archipręsbiteratus Collegiatæ Ecclesiæ Arretinæ ad præscriptum sacri Concilii Tridentini nuper detraximus, & desuper decreta confecimus, illud die xvi. Augusti 1596. hoc verò die prima Februarii anni 1597. Quas quidẽ distributiones, si vel Præpositus, vel Archipręsbiter in suo munere obeundo id, quod decreuimus, deliquerint, iuxtà assignationem, & applicationem per Nos tunc factam, hac quoque Synodali Constitutione denuò applicamus, assignamusq;.

Si quis ex Dignitatibus, seu Canonicis tàm Cathedralis, quàm Collegiatarum Ecclesiarum propriæ salutis immemor (quod non credimus) sit, qui vt distributiones sibi non debitæ assignentur, falsas, aut commentitias causas comminiscatur, & fingat; si eas con

secutus

ſecutus fuerit, illum, & ad earum reſtitutionem teneri, & eo ipſo ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenſum eſſe decernimus, & declaramus.

Diuinis perſolutis officiis, eo ordine, quo quiſq; Diuina peracturus Chorum ingreſſus fuit, eodem prorſus ſemel, iterum, atq; tertio, Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, tacitè primitus recitatis, egrediatur, & in Sacriſtiam reuertatur.

Et cùm non ſolum Dignitates, & Canonici, ſed cæteri omnes, qui Choro interſunt, ſeu intereſſe ſolent, aut debent, in quibuſuis Eccleſiis, omni pietate, ac Religione Diuina officia celebrare teneantur, & in Choro ita verſari, vt laici eorum exemplo ad ſtudium, & amorem Diuini cultus accendantur; Propterea, quę ſuperiùs sãcita ſunt in iis, quæ ad debitum in Diuinis officiis regimen, & ad congruam canendi, & recitandi rationem ſpectant, quæue certam legem in Choro conueniendi, & permanendi aſſignant, ab aliis quibuſcunq; Clericis ſeruari mandamus; dum eis in Choro, ſeu in Eccleſia Diuinorum officiorum celebrationi quo vis tempore intereſſe contingerit.

Cunq; ſepæ à pietate, & Religione, ab eaq; attentione, cui maximè addicti eſſe debent, diſtrahantur Clerici, & auocentur à laicis, qui dum Diuina obeuntur officia, ea loca occupant, quæ Clericorum eſſe debent; idcircò laicis quibuſcunque ſub pœna excommunicationis præcipimus, ne (dum Diuina peraguntur officia) Chori ſedes aliquas occupent, aut ſimul cum Clericis ibi maneant, ſeu conſiſtant, niſi fortè muſicali cantici, aut aliàs fuerit neceſſarius.

S De

De Præfecto Chori, Ceremoniarum Magistro, punctatore, & eorum munere.

Cap. xxvi.

TAM in Cathedrali, quàm in Collegiatis Ecclesiis Chori præfectus, à quo potissimũ totius Diuini cultus ordo, & incrementum pendet, sedulò curet, vt & Missarum solennia, & alia Diuina officia congruis horis, & qua decet Religione, peragantur; atq; ritè, & ad eam Chori normam omnia fiant, quę vel Synodalibus, vel tùm propriis, & capitularibus, tùm communibus constitutionibus præscribuntur; Si quem in aliquo viderit offendisse, perhumaniter corrigat; Inobedientes iubeat per punctatorem in punctationum librum referri, si minimè resipiscant, ad Episcopum deferat.

Nulli discedendi à Choro licentiam facilè concedat; Et cùm absq; legitima caussa concedi non debeat; accuratè perpendat, num ea, quæ fuerit allata, digna sit, & æquitati consentanea; Idq; Episcopo absente, seu eius generali Vicario; nam ipsis, seu altero eorum præsentibus, ab eis licentia erit obtinẽda.

In Ecclesiis illis, in quibus non est, qui nominatim huic muneri præficiatur, vel, si est, absens tunc à Choro reperitur; præfecti officio fungatur is, qui primum in Choro locum obtinet.

Vt Chori præfectus liberius eius muneri vacare, & sine excusationis pallio incumbere valeat, illis horis, quibus sacra fiunt, & Diuina celebrantur officia, ab omnibus oneribus, quæ sibi forsitan incumbunt, aut etiam Missam celebrandi, ipse tunc sit penitus exemptus.

Si in

Si in obeundo munere negligens fuerit, ab Episcopo punietur.

Ceremoniarum Magiſter item in Cathedrali, & Collegiatis Eccleſiis perpetuò habeatur; Iſq; ſemper eligatur, & inſtituatur idoneus, & ſacris Eccleſiæ ceremoniis eruditus; & qui huic muneri diligenter ſatisfacere poſſit; Cuius erit in primis diligenter curare, vt omnia tàm circa Miſſarum celebrationem, quàm Diuinorum officiorum recitationem ritè ex ordine, ac iuxta ceremonias Miſſalis, ac Breuiarii noui in Eccleſia peragantur.

Suum item erit denunciare, quando ſtandum, ſedendum, genufleᴢtendum, caput demittendum, aperiendum, & tegendum erit.

Quando item ſimplex, duplex, aut ſolenne erit celebrandum officium; Quæ tunc Antiphonæ, Pſalmi, Verſus, lectiones, & reſponſoria dicenda, canendaq; ſunt.

Inſtituet, qui Pſalmos intonent, Antiphonas, reſponſoria, & ſimilia repetant; qui verſi ſignum dent eis, qui Antiphonas, Verſus Gradualium, & reſponſoriorum & cætera huiuſmodi exordiantur.

Eos, quibus Euangelium, Epiſtola, vel quid ſimile in Choro, ſeu Eccleſia dicendum, aut canendum fuerit, in Sacriſtia prius audiat, & erudiat.

Dignitates, & Canonicos aliquid publicè canentes, aliaſue Eccleſiaſticas functiones palàm exercentes comitetur, & eis aſſiſtat; deniq; cæteros Eccleſiæ Miniſtros ſui officii commonefaciat; Ob idq; Tabellam in Sacriſtia figendam conficiat, vbi per ſingulos Menſes, vel per ſingulas Hebdomadas, Miſſas, Officia, Anniuerſaria, & alia huiuſmodi, quæ ab

ipsis Dignitatibus, & Canonicis, aliisue bèneficia obtinentibus, singulis diebus tàm coniunctim, quàm diuisim dicenda, recitanda, & cantanda sunt; nec non cętera munia, quæ vnusquisque pariter in ipsis Ecclesiis obire debet, describat.

Qui autem, quod ei in tabella præscriptum fuerit, non fecerit; & qui ipsi Magistro in prædictis, aliisue ad eius officium pertinentibus non paruerit, à præfecto Chori corripiatur; & si, opus erit, ad Episcopum deferatur.

Quòd si ipse in officio suo deliquerit, ipse pariter ab Episcopo punietur.

In Cathedrali, & singulis Collegiatis vnus ad minus, qui punctatoris munus obire debeat, creetur, & instituatur in mensem, vel in aliud certum tempus, iuxta vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem, à Capitulo, vel de ipsius Capituli corpore, vel de Clero, qui saltem in Subdiaconatus ordine constitutus sit, officioq; durante, quotidie Choro interesse possit.

Punctatores, tàm Cathedralis, quàm Collegiatæ Ecclesiæ Arretinæ officium suum numquàm aggrediantur, nisi prius coram Episcopo, seu Vicario iuramentum pręstent; se suo munere ritè, rectè, ac fideliter præfuncturos, ad verborū formam in fine huius capitis pręscribēdam; Aliarum verò Collegiatarum punctatores ad eandem formam iurent coràm ea dignitate, quæ caput Capituli est.

Librum punctationū habeāt, quem statim, tēpore pūcto pręfinito expleto, in Chorū afferant, in eumq; fideliter, & omni amoris, vel odii affectu deposito, notent omnes cuiuscunque sint Dignitatis, aut conditionis, vel qui tempore pręstituto in Chorum non

conuenerint, vel contra ea, quæ ſuperius præſcripta ſunt, quicquam fecerint; idque faciant ſemper coràm prefecto Chori ſi adſit; alioquin, coràm eo, qui inter Dignitates, ſeu Canonicos tunc in Choro præſentes primum locum obtinere contingat.

Liber ille diligenter, ac fideliter à punctatoribus in arcula claue munita custodiatur, quam penes ſe aſſeruent, nec alteri vmquàm concredant, niſi ei, qui ipſis legitimè impeditis, fuerit ab eo, qui primã perſonam in Capitulo tunc gerit, ſubſtitutus.

Caueant, ne vllum iniuſtè, preſertim de induſtria, notent, aut notandum prætermittant; aut quem iam notarint, etiam ſub prætextu deleant, quòd vel iniuſtè, vel incautè, vel per errorem notatus fuerit; aut aliàs in obeundo officio fraudem committant; nam preter periurii reatum, alias quoque arbitrii noſtri pœnas dabunt.

Si quis ex Dignitatibus Canonicis, aut aliis, qui in Choro addicti ſunt, punctatoribus ipſis minas, contumelias, vel iniurias, verbo, facto, vel ſigno irrogare auſus fuerit, ſeuerè ab Epiſcopo puniatur.

Expleto vniuſcuiuſque punctatoris officio, libri punctationum Capitulo exhibeantur, diligenſq; fiat ſupputatio punctationum à punctatore, vnà cum duobus à Capitulo electis, & eorum ſubſcriptione firmetur, & deinde Epiſcopo, ſeu eius Vicario generali ſupputatio ipſa exhibeatur.

Formula iuramenti præstandi à punctatore.

EGO N. punctatoris officium, quod ſuſcepi, promitto, ſpondeo, & iuro me fideliter, & ſincerè,

quan-

quantùm in me erit, executurum, & muneri meo nec indulgentia, nec odio, nec amore, nec spe, nec metu, nec vlla alia caussa defuturum; sic me Deus adiuuet, & sancta Dei Euangelia.

De Hebdomadario.

cap. XXVII

IN Cathedrali, vel Collegiatis Ecclesiis Hebdomadarius non creetur à Capitulo per suffragia, nec sorte extrahatur; sed tabula fiat, in qua gradatim describantur omnes, tum Dignitates, tum Canonici, qui iuxtà ipsarum Ecclesiarum cõstitutiones hoc munus obire tenentur; Et singulis Hebdomadis eorum vnus, tabulę ordine per orbem seruato, designetur, qui Hebdomadarii officium peragat.

In vniuersis, & singulis eius Hebdomadæ diebus Missę conuentualis sacrum per se celebret; ceteraq; Hebdomadarii officia peragat; nisi (vt in Cathedrali, & Collegiata Arretina de more seruatur, ad alios profestis diebus, & Missam celebrare) & cætera officia peragere pertineat: Cumq; omnes per se, & non per substitutos Diuina officia obire compellendi sint; nullus, nisi fuerit legitimè impeditus, aliquem subroget, qui eius vices expleat; quòd si subrogare opus fuerit, & nemo alius reperiatur, successor in Hebdomada id munus semper obeat; absq; sui tamen preiudicio gratia Hebdomadæ sibi deinde competituræ.

Conc. Tr. sess. 24. ca. 12. §. oẽs.

Id tamen perpetuò seruetur, vt impedito nullus vnquàm alius Sacerdos subrogetur, nisi in eorum Canonicorum, seu dignitatum numerum cooptatus sit, ad quos huiusmodi conuentualis Missæ, &

Diui-

Diuinorum officiorum celebratio ſpectat: Saluis tamen prærogatiuis Prepoſiti Cathedralis circa Conuentualis Miſſæ celebrationem, & quarundam functionum exercitium, quæ ei quibuſdsm diebus ſolennioribus ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, ſeu alias competunt; Et ſi quæ aliis tam in ipſa Cathedrali, quàm in Collegiatis Eccleſiis aliquo pacto legitimè conueniant.

Conuentualis Miſſæ ſacrum pro die feſto, feriaue celebrandum, ne in Cathedrali, aliiſq; Collegiatis Eccleſiis vnquam intermittatur; quamuis eodem die Miſſa pro Defunctis, vel Votiua à Capitulo celebrari oporteat, eaq; ſemper in Altari maiori dicatur.

Quando ex Miſſalis Romani præſcripto Miſſæ duæ conuentuales eodem die celebrari debent, in Cathedrali, & Collegiata Arretina vtraq; decantetur; In aliis verò Collegiatis prima ſaltem legatur, altera cantu celebretur.

Miſſam illam, quam dicunt, dell'opera, quæ ſingulis diebus Dominicis in Cathedrali Aretina ante conuentualem per Manſionarios celebrari ſolet, cantu ſemper, vt de more eſt, celebretur; nec vnquàm abſq; Epiſcopali facultate decantari omittatur; Alioquin, Manſionarii vnius aurei pœnam, in opere vſum conuertendam, pro qualibet vice incurrant.

De Capitulis tum Cathedralis, tum Collegiatarum Eccleſiarum.

Cap. XXVIIJ.

CAPITVLVM, vbi frequentius non habetur, ſemel ſaltem in ſingulos Menſes arbitrio Præpoſiti, ſeu Præſidentis ipſius Capituli in loco ſo-

lito

lito congregetur, & etiam sæpius, si negociorum necessitas vrgeat.

Quotiescunque Capitulum conuenerit, vt de re aliqua deliberet, antequàm rerum tractationem aggrediatur, Oratio, quę de Spiritu sancto est, à Præfecto illius Capituli, vel ab eo, qui tunc pręfecti locum tenet, deuotè semper recitetur, & in fine gratiarum actiones habeantur.

Conc. Tr. sessio. 22. c.4. de ref. gener.

Nullus ad Capituli tractatus admittatur, nisi saltem sit in Subdiaconatus ordine constitutus, etiam si hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum.

Quo tempore in Choro diuina obeuntur officia, Capitulum habere non liceat; minusque diebus festis, nisi aliquid occurrat, quod dilationem minimè patiatur.

Capitulo ritè, ac legitimè cógregato Capituli Pręsidẽs nihil proponat, nullumq; suffragiũ dari permittat, nisi oẽs ibidẽ cógregati ꝓpriis vtiq; sedeãt locis.

Vbi autem, quæ deliberanda fuerint, proposuerit, vnicuiq; postmodum liceat de rebus præpositis sententiam suam liberè pronunciare; ea tamen ordinis prærogatiua seruata, quæ cuiusuis dignitati, & antiquitati respondeat.

In ea verò pronuncianda, prout etiam in contradicendo, & respondendo, modestè, grauiterq; se gerant omnes; A rixis verò, iniuriis, contumeliis, & altercationibus omninò abstineant.

Quòd si quis iurgia, conuitia, seu contumelias in alium dixerit, omnibus per mensem, tùm distributionibus, tùm aliis emolumentis ordinariis, seu extraordinariis priuatus censeatur: grauiusque etiam puniatur arbitrio Episcopi.

A Capitulo

A Capitulo absint, quæ vis verba iocosa, ludirca, & scurrilia; multoq; magis obscœnitatem vllam pręse ferentia.

Negocia omnia occultis, secretisq; suffragiis, & votis semper decidantur, deliberenturq;, vt vnicuique liceat liberius sui animi sententiā expromere; Quod si seruatum non fuerit, irritæ sint, & inanes, quæcunque tunc deliberationes, decisionesue factæ fuerint; Et, qui vota, seu suffragia palàm dederit, eo ipso voce actiua, & passiua, per mensem priuatus existat.

Cum Præsidenti, seu præfecto Capituli expedire videatur, secreta habenda esse, quæ in Capitulo deliberata, seu tractata fuerunt; compellat omnes ibi existentes, vt iuramentum pręstent, se ea nullibi vmquàm indicaturos esse; qui iurare detrectauerint, ab ingressu Capituli, Episcopi arbitrio, suspensi censeantur.

Nemini liceat recusare munus, aut officium sibi à Capitulo demandatum, nisi legitima adsit causa, quę occultis suffragiis Capitulo probetur; Quòd si quis iniuriam sibi à Capitulo fieri arbitretur, Episcopum adeat, qui, re cognita, definiat, quid sibi magis expedire videbitur.

A loco vbi Capitulum habetur, ante gratiarum actionem nemini discedere liceat, non petita, & impetrata à Pręfecto missione; qui secus recesserit, octo dierū distributionibus Sacristiæ applicandis careat.


In reliquis verò ea omnia seruentur, quæ vel visitationum Decretis, vel vniuscuiusque Ecclesiæ constitutionibus probatis comprehenduntur.

De Clericis.

cap. XXIX

QVONIAM Clericorum vita, modestia, & morum integritate aliis omnibus prælucere debet, & exterior habitus decentia interiorem animi honestatem præseferre. Iubemus, vt Clerici omnes ad eam formam Clericali Tonsura insigniti incedãt, quam ratio cuiusque ordinis postulabit; talisq; sit, vt omnibus conspicua esse possit; Propterea quisq; eam decimo quinto ad summum die abrasis capillis renouari faciat.

Vt autem omnes intelligant, quàm late patens esse debeat Clericorum Tonsura, cuiuslibet ordinis figuram inferiùs imprimendam esse censuimus; ita, vt in Sacerdotibus non sit minor formula circuli maioris; in Diaconis, & Subdiaconis non sit minor formula circuli medii, in cęteris vero inferiorum ordinum Clericis nõ sit minor formula circuli minoris.



Barbam ab vtraque oris parte intortam,ac militari,vt dicunt,more productam non gestent;Superioris labii pilos frequenter incidant, præsertim Sacerdotes,vt Calicis sumptione sanguine nō intingātur.

Crines, & capillos comptos, cincinnatos, aut supra frontem eminentiores non habeant.

Vestes tàm exteriores,quàm interiores in Ciuitate,& Castris simplices,Talares,nigriq; coloris,nisi fortè alium colorem requirat dignitatis gradus, deferant: Ruri verò dum fuerint,vel in itinere, permittimus breuiores; infra genua tamen demissas.

Pallio,quod ferraiolum appellant,cum talari tunica tantùm, & non aliàs vtantur.

Toga, quam vulgò Mantellum vocant, nemini permittatur, prçterquam Doctoribus, aliisue in dignitate aliqua constitutis.

Vestibus sericis, exquisitis, nimisq; delicatis, nec Domi, nec extra Clerici vtantur; Pannosos tamen, aut in vestibus laceros, aut sordidos eos esse prohibemus.

A caligis, caligarumq; ligaminibus, aliisue vestimentis,etiam intimis,secularibus,& quæ nigri coloris, aut alterius honestatem præseferentes non sint, omnino abstineant.

Nihil quod incisum, dissectum,laciniatum,aut artificio elaboratum sit, gestent; manicas extrinsecùs apparentes nigri coloris semper habeant.

Interulas, seu camisias ad collum, vel ad manus crispas, rugosas, fabrefactas, aut arte elaboratas reiiciant; Collare, quod dicunt, simplex, & modicè latum honeste reclinetur, reflectaturq; super veste.

In Ecclesiis, in Capitulo, in conuentu Clericali,

aliisue Ecclesiasticis congregationibus, pileis non tegantur; Extra verò, in itinere, & ad valetudinem tuendam, celiq; iniurias arcendas liceat; pilei verò fastigiati, aculeati, aut turbinati non sint, sed simplices, depressæ formæ, honestæ amplitudinis, nigrique coloris semper.

Conc. Later. sub Innocēt. 3. c. 16. est relata in c. Clerici, el 2. de vita. & honest. cleric.

A ceteris demùm eiusmodi leuitatibus abstineāt à quibus Lateranense Concilium præcipit abstineri.

Quicunque autem conuenientem habitū, & tonsuram gestare neglexerit, si beneficia quæcunque Ecclesiastica obtineat, aut pensiones, fructus, prædia, vel bona Ecclesiastica valorem annuū sexaginta ducatorum auri de Camera excedentia percipiat: beneficiis, pensionibus, fructibus, & bonis ipsis ad præscriptum constitutionis Sixti Quinti, sciat se absque alia monitione, citatione, iudicis decreto, aut ministerio ipso facto priuatum esse: Si nullum beneficiū, aut pensionem obtineat, sit tamen maioribus Ordinibus insignitus, illum suspensionis ab ordinum suorum executione pœna, aliisue arbitrio nostro plectemus. Si ad minores ordines, atque adeò ad primam ton suram promotus erit, si breuioribus vestibus instar laicorum vtetur, fori, & Canonis priuilegio priuatum esse pronunciamus; & omni spe carere, ad altiores ordines ascendendi.

Incip: Cū sacrosanctam ędit. 5. Id. Ian. 1588.

Qui in alio prædictorum deliquerit, pœna arbitraria mulctabitur.

Diaconi, & Subdiaconi, bis saltem in mense, & quoties Altari ministrabunt, sacram Eucharistiam confessi sumāt. Inferiores verò Clerici meminerint, eorum ordini maximè conuenire, vt id ipsum singulis mensibus publicè pręstent. Qui absque necessa-

ria causa id omiserint, Parochi, illos sui officii admonitos, nisi paruerint, ad Nos, seu ad Vicarium nostrum deferant; vt ad vlteriores ordines, priusquàm resipuerint, non admittantur; atque interim contumaces eiusmodi, à mortuorum funeribus, aliisq; emolumentis ordinariis, & extraordinariis mandato nostro semper arceant.

Ecclesiis, quibus fuerunt ascripti, inseruiant; nec locum, Episcopo inconsulto, deserant, alioquin, eis sacrorum exercitium interdicendum esse sciant, ex sacri Concilii Tridentini decreto. Sessio. 23. cap. 16.

Nemo deinceps sibi habitum Clericalem, nisi post primam Tonsuram, assumat, aut deferat: sed à Vicario Nostro, siue ex eius permissione, ab alio petere, & recipere vnusquisque teneatur; ac semel acceptum absque dicti Vicarii licentia, deponere nequeat.

Nullus cuiuscunq; gradus Clericus existat, laruatus quo vis tempore incedere, vel proprium habitum laico accommodare presumat, sub pœna carceris, & arbitrii nostri.

Annulum quemcunque nemo gestet, cui, vel propter officii dignitatem, vel honoris gradum, eo vti non liceat.

Post tertiam noctis horam hyberno, & post secundam æstiuo temporibus, domo non exeant, nisi Parochialis officii cura, aut alia necessaria causa id postulauerit; Tuncq; Clericalem habitum, lumenq; deferant, &, si fieri poterit, ab aliquo honesto viro associati, sub pœna arbitratu nostro soluenda.

A nocturnis cātilenis, tàm voce, quàm fidibus, vel alio instrumenti genere abstineant; Nec noctu can-

tillantibus

tillantibus aggregentur, ac ne momento quidem tẽporis cum illis consistant; quòd si in iis deprehensi fuerint, capturæ, & pecuniæ pœna arbitratu nostro plectentur.

Seculares omnes commessationes, publicaue laicorum conuiuia prorsus refugiant; quibus si propinquitas, aliaq; probabilis causa coget eos interesse, modestiam in iis, & decorum seruent; neminemq; ad bibendum ea lege prouocent, aut ad æquales potus se se obligent potatores; valde enim turpe est Clericum esse, vel dici potatorem.

Nulla prorsus inepta verecundia detineãtur, quò minus priusquàm accumbãt, Mensam de more semper benedicant; aut antequàm exurgant, bonorum omnium largitori Deo gratias agant; qui in iis deliquerint, pro modo culpę corripiãtur, aut mulctẽtur.

Choreas publicas, aut priuatas non agant, nec spectent: Neq; fabulis, comediis, aliisq; profanis, ac inanibus spectaculis intersint: In scenam velut histriones non prodeant, suiq; corporis spectaculum nec in publico, nec in priuato loco faciãt, sub arbitrii pęna.

In conuiuiis, mensis, nocturnis vigiliis, virorumq;, ac fęminarum conuentibus canendo, aut sonando operam suam non præstent, ne vllo quidem cognationis, familiaritatis, obsequii, aut alterius cuiusuis rei intuitu.

Turpes, amatorias, aut lasciuas cantilenas, nec depromant, nec modulentur: Libros ex professo turpia, & obscęna tractantes, imagines, & picturas quid lasciuum, vel inhonestum referentes, non teneant.

Ab illicitis cartarum, talorumq;, & huiusmodi ludis tàm reprę sentata pecunia, quàm aliàs, ne dum se

Clerici

Clerici abſtineant, ſed nec eorum ſint ſpectatores, aut quenquam ſuis ædibus ludere patiãtur: A locis autem publicis, vbi frequens eſt hominum conuentus, procul ſint Clericorum ludi, etiam honeſti: qui cõtrafecerint grauiſſimis arbitrio noſtro pœnis pro qualitate ludi afficientur; Laici quoque cum Clericis colludentes, aut eis ludendi commoditatem præbentes, præter alias pœnas, excommunicatione etiam ferientur.

Cùm noſtri muneris eſſe videatur, vt non ſolùm quæ ad animarum ſalutem, verum etiam, quæ ad populi totius commune bonum, quietem, & concordiam pertinent, à Clericis etiã ſeruentur: propterea proximè ſubiecta Decreta aſteriſcis notata, pœnis iiſdem communire viſum eſt, quibus laici homines Principis optimè gubernantis legibus coercentur, exceptis tamen pœnis afflictiuis pro perſonarũ conditione, & delictorum qualitate, & quantitate in alias arbitrio noſtro commutãdas, & reſeruato etiam nobis iure pecuniarias quoque eadem ratione minuendi, augendiue.

* Cùm Clericorum arma piæ debeant eſſe preces; & lacrimæ; idcirco Clericis omne armorum genus interdicitur, exceptis cultris ad vitæ vſum accommodatis: In itinere tamen gladium breuiorem, quem ſtortã appellant, non ad latus accinctum, ſed tantummodò more clericorum, appẽſum ad ephippiã equi, cui inſident habere, non prohibemus.

* Ne verò facinoroſis hominibus ad flagitia perpetranda aditus pateat, exules, craſſãtores, aut eiuſmodi ſceleſtos, nec domi recipiant Clerici, nec aliqua re iuuent, aut quicquam ſuppeditent.

* Nullus item Clericorum frumenta, aliasue segetes ad loca prohibita audeat asportare, seu asportanda tradere, vel eiusmodi transgressoribus auxilium, aut fauorem quoquo modo præstare.

* Cumq; Deo, non autem Mammone à Clericis seruiendum sit, abstineant propterea à detestando Annonæ Monopolio, & ab odiosa frumentorum, ac aliorum segetũ mercatura, quam incettam vocant.

Quòd si in aliquo ex prędictis quattuor decretis ab ipsis peccatum fuisse constiterit, eosdem pœnis prædictis subiacere decernimus.

Cùm verò maximè dedeceat, (Apostolo teste) Deo militantes se negociis secularibus implicare; illis, qui in Ecclesiasticam Militiam nomen dederunt, omninò prohibemus cuius vis generis mercaturam quæstuosam (ne dicamus fœneratitiam) omnemq; profanã, & sordidam negociationem; quæ tàm proprio, quàm alieno nomine fiat; Et ne nundinas quidem frequentare, aut propolarum negociũ, qui res minoris præemunt, vt pluris postea vendant, illis liceat exercere; aut in negociationibus, & mercaturis proxenetas seu interpretes se exhibere.

Aliena prædia lucri tantùm gratia ne conducant; quòd si id aliam ob caussam nobis expedire videatur, eius rei facultatem facilè impetrabunt.

Secularia negocia, fora, & iudicia omninò refugiant; Neq; apud secularem Iudicem aduocati, seu procuratoris, vel scribæ officio fungantur; Nec tutores sint alicuius, nisi pietatis causa, Episcopiq; permissu. Quando verò Ecclesiarum, vel miserabilium personarum, quæ se defendere nequeunt, aut aliorum iuxta Canonũ dispositionem caussam prosequi de-

bebunt,

bebunt, id à Nobis, ſeu Vicario Noſtro libentiſſime concedetur; Contrafacientes tanquàm pręſenti Decreto præmonitos, ſeuerè puniendos decernimus.

Nec verò cùm iis facilius, aut leuius agendum ſtatuimus, qui querelas ibidem abſque noſtra licentia, quamuis citra pœnam ſanguinis, expoſuerint; aut quenquã ad iudicium ſeculare etiã pro ciuili actione traxerint; aut ipſimet teſtimonium quacunque de cauſſa præbuerint; aut Tabellionatus officium in profanis negociis exercuerint; vel ſententiã ſanguinis dictauerint, aut protulerint; aut quicquam aliud fecerint, quo ad ſanguinis vindictam tendatur.

Nunquàm dum rei cruciantur, aut morte afficiuntur, præſentes adſint, niſi cum ad ipſos cohortandos adhibentur: tuncq; caueant, nec quicquam faciant, quo labem irregularitatis contrahant.

Cùm turpe nimis, ac nefarium ſit in ſortem Domini electos in impudicitiæ ſordibus verſari, caueant omnes, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus aliqua poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detineant, aut cum illis aliquam cõſuetudinem habeãt; & à ceteris huiuſmodi atrocioribus criminibus, & flagitiis abſtineant; & ab eo præſertim per quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, cuius quoque nomen nefarium eſt ore proferre, ſub pœnis ſacrorum Canonum, Concilii pręſertim Tridentini, Cõſtitutionum Apoſtolicarum, & Edicti noſtri; & propterea vt mali occaſio, & ſuſpicio prorſus tollatur, ſuſpectos pueros, impudicos, aut aliqua infamia laborantes penès ſe non retineantur, ſub graui pœna arbitratu noſtro infligenda.

Conc. Tr. Seſſio. 21. c.14. de re for. gener. Conſt. Pij V. inc. Cũ primũ ed. Cal. Apr. 1566. & alia incip. horrẽ. edi. Calen. Septẽ. 1568. c. vt Clericorũ mores, de vita, & honeſt. cler.

Cùm aliis quoque mulieribus, affinitatis, & con-

ſanguinitatis gradu ſibi coniunctis non cohabitent, nisi Matres, Sorores, Amitæ, Materteræ, Neptes, & ad ſummum fratrum vxores ſint; Ancillas verò non niſi ſeniores, ætateue graues, quę incontinentiæ, & intemperantię nomine numquam ſuſpectæ alicubi fuerint, accipiant: ita tamen vt re diligenter prius à Nobis, vel Vicario noſtro explorata, eiuſmodi habitationis, & famulatus licentia ſcripta eis gratis concedatur; qui contra hæc fecerint, arbitratu noſtro punientur.

cap. 1. de cohab. cleric. & mulier.

Venationes non modò non exerceant Clerici, verùm etiam Venaticos Canes, Accipitres, Falcones, huiuſmodiq; volucres nequaquàm alant; aut ab aliis accepta, ad venandum ſecum deferant.

Cauponas, ſeu Tabernas ingredi non præſumant, niſi itineris, peregrinationiſue neceſſitate compulſi.

Ab Officinis, aliiſue locis, vbi ſcommatibus, dicteriis, aliiſq; mordacibus verbis alter alteri detrahit, procul omnino ſint cuiuſuis ordinis Clerici; Nihil enim ſcurrilitate, aut ſtultiloquio eſt eorum inſtituto repugnantius, quorum omne in primis ſtudium eſſe debet, vt proximorũ ſaluti conſulant, & per fraternam correctionem alios à peccatis reuocent.

At neque vllo, aut tempore, aut loco decet Clericos inania, aut obſcęna proferre, ſeu audire verba; ſed quæ tùm ſuam ipſorum modeſtiā ſemper pręſeferāt, tùm in aliis pietatē excitare, & augere poſſint.

Ne quando Clericali dignitati iniuria fiat, cauemus, ne Clerici ad Rurale opus, Mercennariorum præſertim more, exeant; nec iumenta ipſi agant onerata, aut ea quouis modo cuſtodiant, vel paſcant; Manibus autem ſuis (ſi libeat) ad victum comparandum,

randum, non ad auaritiam, opus aliud honestum, & laudabile facere poterunt, non tamen Medici, vel Chirurgi artem exercere.

Operas verò suas laicis absque delectu, & præter Ordinum Ministeria locare, aut fœminarum asseclas fieri; aut ipsas suis brachiis innitentes comitari; aut iisdem discumbentibus assistere; aut eas legere, scribere, canere, & alia huiusmodi docere sine ordinarii concessu; Eorundem tamen liberos suscipere instituendos non prohibemus; dummodò ab aliis, quibus Ecclesiasticæ Dignitatis gradus deprimitur, se prorsus abstineant; In famulatu verò Ecclesiasticorum Virorum si fuerint, viliora officia, aliaue, quæ Clericali decoro nō conueniunt, omnino deuitent.

Horas omnes Canonicas, tùm qui beneficiis Ecclesiasticis fruuntur; tùm sacro ordine initiati, opportunè, ritè, pieq; omni tùm corporis compositione, tùm animi attentione singulis diebus recitent; Quoties verò legitimo cessante impedimēto id omiserint, sciant se ex Constitutione Pii Quinti, omnes beneficiorum suorum fructus, qui illis diebus respō derent, si quotidie diuiderentur, toties priuari, qui verò Matutinum tantùm, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittere; atque præterea graue peccatum admittere.

Incip. ex proximo ed. 12. cal. oct. 1571.

Illi pariter, qui pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clerici, percipiunt; eos modo prędicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis se obligatos intelligant; & pensionis, fructuum, rerumq; ipsarum amissioni obnoxios.

Cōstitut. Pij V. sup. citata.

Sciant item Ecclesiastica beneficia obtinentes, si

Seff. 9. de ref. curiæ.

ex Concilio vltimo Lateranenſi beneficiis ipſis priuari poſſe, ſi poſt ſex menſes ab obtentis beneficiis Diuinum Officium legitima præcedente monitione non dixerint; cum propter officium detur beneficium; Eoſq; officium omittere quo ad hoc, vt beneficiis priuentur, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non recitauerint.

In ſacrarum literarũ ſtudiis colendis omnem ponant operam, atque aſſiduam diligentiam; memores eius, quod dixit Dominus per os Prophetæ. Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.

Proinde ſacros aliquot penès ſe libros habeant, & præcipuè Bibliorum vulgatæ editionis volumen, Cathechiſmum Romanum, Concilium Tridentinũ & Synodales has noſtras Conſtitutiones; alioſq; pios libellos, ad pietatem, & bonos mores combibendos, virtutumq; ſemina concipienda accommodatos ſibi comparent, aſſidueq; perlegant.

Qui autem animarum curam gerunt, aut ad confeſſiones audiendas probati ſunt, aliquot prætereà doctiſſimorum Virorum ſummas, in quibus de conſcientiæ caſibus, deque iis, quæ ad Pœnitentiæ ſacramentum pertinent, diſſeritur: Nec non Patrum Homilias, moraleſq; Sermones, rudioris populi inſtructioni valdè vtiles, habeant; ex quibus ea petere poſſint, quæ ad ſuum munus ritè pręſtandum ſpectant.

At Vrbani Clerici, quicunque ſint; & præcipuè animarum curæ præpoſiti, confeſſionibuſq; audiendis expoſiti; caſuum conſcientię lectioni, quę in Eccleſia fraternitatis Clericorum Murelli, & illi etiam,

quæ

quæ de ſcriptura in Cathedrali habetur, ſtudiosè, diligenterq; curent intereſſe; & ordinandi non admittentur, niſi teſtimonium exhibuerint dignum, quo conſtet eos frequenter præmiſſis interfuiſſe lectionibus.

Sacris etiam Concionibus, Quadrageſimæ præſertim tempore, adſint; & loco aliquo decenti, & honeſto conſidere ſtudeant, Vrbani in Cathedrali; externi verò ſeu Diœceſani Clerici in Eccleſia, vbi concionatur.

Quemadmodum ad cordis puritatem tuendam, ac promouendam, minoribus Clericis (cum de Ordinis Sacramento ageretur) frequentem, piumq; Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ vſum commendauimus; ita præſenti Decreto omnibus, & ſingulis Sacerdotibus iubemus, vt diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis Solennibus ad Tridentinæ ſanctionis præſcriptum Miſſam celebrent, & ſi ad id nulla beneficii Eccleſiaſtici, aliaue obligatione teneantur; Dignitatibus verò, & Canonicis ad memoriam reuocamus, vt in Cathedrali, & Collegiatis ipſorum Eccleſiis, Feſtis omnibus, niſi legitima cauſa fuerint impediti, idem peragere numquam omittant. Seſſ. 23. c. 14. de refor. gen.

Cùm Clericorum præcipuum munus ſit Diuinis ſemper rebus vacare, Clerici omnes, etiam Presbiteri, qui nullius Eccleſię addicti ſint miniſteriis, etiam generaliter; Dominicis, & Feſtis diebus, quibus fideles ad res Diuinas ſtudioſius incumbunt, in propria Parochiali ſua interſint; In qua Parochos adiuuent, tùm in Miſſis, tùm in Veſpertinis precibus decantandis: ibique Ordinis ſui functiones exerceant; nec ab eius obſequiis ſe ſubtrahant, Epiſcopo,

ſeu

ſeu eius generali Vicario inconſulto; iis tamen exceptis, qui in Cathedrali Collegiatis, aliiſue in Eccleſiis, in quibus huiuſmodi officia Diuina decantantur, beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinent, quos ad ibi inſeruiendũ omninò teneri declaramus.

Superpelliceis induti, quicunq; ſint etiam Cathedralis Eccleſiæ Canonici, prę foribus Eccleſię ne ſtẽt; ne per vias incedant; nec ab Eccleſia vnquam prodeant, niſi cùm proceſſiones, aut aliquod aliud Eccleſiaſticum Miniſterium, quod foris obire contingat, ſuperpellicei vſum per vias quoque requirant.

Qui ſacris præſertim initiati ſunt, aut beneficia Eccleſiaſtica obtinent: ſi reſidere nõ teneantur, è Diœceſi ne diſcedant, vt domicilium mutent, aut vt diutius menſe abſint, etiam ſi ſtudii cauſa aliquò extra Diœceſim commigrare velint, niſi prius facultatem abeundi ſcriptam impetrent ab Epiſcopo, ſeu eius generali Vicario. Quem pariter, vbi redierint, de ſuo reditu faciant certiorem; alioquin, tanquam abſentes cenſeantur, atque mulctentur. Cum iis verò, qui reſidere tenentur, ea omnino ſeruentur, quæ ſuperius, cum de eis ſermo habitus fuit, ſancita fuere.

Demùm quoſcunque ſecularia beneficia Eccleſiaſtica, ſeu regularia obtinentes ad ſacri Concilii Tridentini præſcriptum monemus, & in Domino obſecramus, præſertim eos, qui redditus vberiores habent, vt hoſpitalitatis officium à S. Patribus frequenter commendatum, quantùm per eorum prouentus licebit, promptè, benigneq; exercere aſſueſcant; memores, eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitalibus recipere.

Seſſio. 25. cap. 8. de ref. gen.

De Processionibus. Cap. XXX.

ANTIQVISSIMVS in Ecclesia supplicationum vsus, ad implorandam à Deo pro vniuerso populo veniam peccatorum, aliaq; impetranda beneficia, seu ad agendas Diuinæ Beneficentiæ gratias valdè accommodatus, ac frequens, summa totius Cleri, & Populi pietate sedulo retinendus est, atque colendus.

Quarè cùm ex Ecclesiæ instituto, aut alias vsuuenerit, vel cùm ex veteri Ciuitatis, seu aliorum locorũ Diœcesis consuetudine supplicationes fieri oportebit, à Cathedrali in Ciuitate, in Diœcesi verò, à Digniori, seu Primaria Ecclesia ordine semper proficiscantur, nisi aliud Episcopo in Ciuitate, alibi verò illius Primariæ Ecclesiæ Parocho, seu Rectori ex causa videatur.

Vbi publicæ processiones, & generales, tùm ordinariæ, tùm extraordinariæ summi Pontificis, aut Episcopi iussu, tàm in Vrbe, quàm alibi per Diœcesim habentur, Clerici omnes seculares cuiusuis Dignitatis, & gradus sint, quàmuis exempti, Tridentini Concilii Decreto, stata hora ad eas in Ecclesia conueniant: Ii item Regulares, Sodalitatumq; confratres, qui de more ad hunc vsque diem conuenire consueuerunt; hoc semper seruato, quod Synodo Prouinciali Florentina sancitur; vt Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad locum, vnde discessit, ab omnibus reducatur, sub pœnis Episcopi arbitrio imponendis. Sessio. 25. cap. 13. de regul.

Qui huiusmodi Processionibus interesse neglexerit; seu qui ad præfixam horam, seu saltem ante- De process sionib. c. 1.

quàm

quàm processio ineatur, non venerit, Clerici seculares pœnam vnius aurei, & maiorem etiam: Regulares verò, & Sodalitatum confratres, pœnam quadruplicatam incurrant, aut aliam Episcopi arbitrio.

Sacerdotes, & Clerici ipsi Veste Talari, superpelliceo mundo, Clericali Bireto, aliisue Vestibus, & insignibus, quæ requirit ordinis, seu dignitatis gradus induti sint. Pileo numquàm vtantur, nec Pallio super cotta, nisi pluuiali tempore, tuncq; pileus super Bireto, & non alio modo gestetur.

¶ Cùm ad Ecclesiam peruenerint, tamdiu in loco idoneo taciti consistant, dum celebrata primùm Missa, suus sit cuique procedendi locus; Nemo interim per Ecclesiam vagetur, aut extra illius fores, profanis intentus, ob ambulet; sed orationi, ac precibus in Templo vacet: Illius verò Ecclesiæ Canonici, & Clerus suum locum non deserant, vt in Sacristiam interim, aut aliò se recipiant.

Omnes deinde coniunctim, & sociatim prelatum Vexillum sequentes, summam animi pietatem præseferentes, collocutionibus, & cacchinationibus prorsus omissis, congruo inter se spatio distantes bini incedant; grauiq; passu procedant; nec vmquam subsistāt in via, nisi cùm ex causa subsistendum erit: Easq; interim orationes, ac preces potissimùm recitent, quæ ad rem accommodatæ à Summo Pontifice, aut ab Episcopo indictæ; vel denique veteri Ecclesiæ illius vsu receptæ sint.

Cleri Vexilla, Cruces, & sacrarum Imaginum insignia, candelabraq;, & ceroferaria, non nisi à Clericis, Talari Veste, Cotta, & Clericali Bireto indutis, qui ea aptè, & commodè ferre possint, vbi Clerici tales

sint:

ſint: alioquin, ab aliquo eiuſdem ordinis habitu induto, deferantur.

Neminem laicorum ſodalitatis habitu indutum decebit detecto vultu, oculos huc, atque illuc contorquentem, in ſacris hiſce actionibus procedere; Aut roſas, floreſue alios, qui leuitatem, vanitatemq; ab huiuſmodi Myſteriis alienã. ſapiant, interea geſtare; quod eo magis Clericis prohibitũ eſſe iubemus.

Profana quoque, & ſordida edendi, & bibendi corruptela, turpiſq; illa conſuetudo exculenta, & poculenta deferendi, ſeu vendendi in ſacris ſupplicationibus, & præſertim, quæ in diebus Rogationum habentur, etſi per agros, & longè ab Eccleſia eundum ſit, ſub pœna excommunicationis, aliiſue etiam pecuniariis arbitratu noſtro infligendis, Prohibemus: Parochiſq; mandamus, vt fideles ſæpè admoneant, quàm dedeceat, vbi piis Orationibus mens, & lingua exercenda eſt, ibi Ieiunium, quod alliciendi Dei gratiam vim maximam habet, tantiſper ſeruare non poſſe.

Vtq; omnia ordine fiant, vbi poſſint, interſint haſtigeri ex ſuo quiq; ordine electi, qui ſacra agmina (vt opus fuerit) dirigant, arceant, coerceant; neq; patiantur laicos homines cum Clero, & multò minus cum Mulieribus commiſceri; ne loco veniæ à Deo impetrandæ, aut gratiæ promerendæ eius ira potius contra ſcelera noſtra meritò concitetur; Sed laici ſemper Clericos ſubſequãtur; Mulieres autẽ velato capite à viris omninò ſeparatę incedãt, ſecretis Orationibus Deum ſibi propitiũ reddere ſtudentes.

Abſint omnino à ſupplicationibus repræſentationes qualeſcunq;; licet enim initio pium videretur in

ſtitutum, & ad excitandos, per res externas rudes im peritorum animos accommodatum; horum tamen deinceps temporum malitia in prauos adeò detorſit vſus, vt cùm Dominicæ Paſſionis, vel Cœnæ ſpectaculum, ſeu admirabiles Sanctorum actiones imitatio ne quidem dignæ omnium oculis, & auribus propo nuntur; pro lacrimis, riſus; pro piis effectibus, praua deſideria excitentur: quarè tàm ſacris, quàm pro fanis in locis ſpectacula, & repręſentationes eiuſmodi prohibemus, niſi (cauſa planè prius probata) noſtra in ſcriptis licentia accedat.

Dùm Proceſſiones generales, etiam diebus ferialibus habentur, officinæ omnes claudantur; nec aliquid tunc temporis venale in plateis, aut alibi exponatur, quà prætereundum eſt.

Illud quoque curetur, vt quo tempore initium procedendi ad Proceſſiones fiet, & dum eò, vnde egreſſa eſt, Proceſſio reuertitur, Campanæ omnes eiuſdem Eccleſiæ de more pulſentur; quod etiam in aliis Eccleſiis ſeruabitur, dum per eas aut eorum vicinias tranſeundum proceſſionaliter fuerit, ſeu tranſire contigerit.

Clericis tàm ſecularibus, quàm Regularibus Parochias non habentibus; & Confratribus ſodalitatũ poſt hac non liceat proceſſiones publicas per Ciuita tem habere, Vicario generali inconſulto; nec minus illis, qui Parochias habent, liceat per alienam Parochiam proceſſionaliter pertranſire, niſi ſaltem à proprio Parocho facultatem impetrent; In Diœceſi verò eas abſque eadem Parochi licentia agere, omnibus ſit pęnitus interdictum.

Ad Proceſſiones, quæ noctu quauis de cauſa fiũt,

Mulie-

Mulieres nullo pacto intersint, nec interesse permittantur ab eis, qui ipsis Processionibus præpositi sunt.

In sacro, solenniq; Corporis Christi Die, omnes, cùm mares, tum fœminę eam Processionis celebritatem non de fenestris, neq; de alio superiori loco despiciant; sed, qui eam pedibus religiosè comitari nõ poterũt, omni animi veneratione prosequentes, pro foribus inspiciant. Is Presbiter ferendæ Eucharistiæ officio fungatur, qui gradu, seu dignitate cęteris præstat; nisi ex consuetudine, aut priuilegio ad alium Presbiterum ea cura pertineat; quod quidem in Cathedrali etiam seruari iubemus, cùm id munus Episcopus legitimè præpeditus exequi non valebit.

Sanctissimum Sacramentum in Processionibus sub Baldachino in tabernaculo ostensorio, decenti vitro perlucido circundato, lunulamq; argenteam habente, quæ eiusmodi sit, vt commodè possit aperiri, indeq; fragmenta colligi, si quæ ibi forte remanserint, perpetuò deferatur; In Calice verò aut pixide nunquàm, nisi in die Iouis sancti, cùm, vt pro feria sexta in Parasceue seruetur, ad locum ad id præparatum defertur; Idq; à Sacerdote fiat, superpelliceo, stola antè pectus in modum Crucis transuersa, Pluuiali, ac Velo sericeo super Pluuiali ĩduto, quod ipsius humeros tegat: Adsitq; Thurribulũ, quo iugiter Sanctissimũ Sacramentum incensetur, luminaria multa præcedant, Clerus, Populusq; vniuersus denudato capite semper processionem ipsam comitẽtur.

In locis verò, per quæ Processio ipsa Sanctissimi Corporis Christi incedere solet, is ornatus, apparatus, & decor appareat, qui pręsentię, & conspectui Saluatoris Domini Nostri conuenire videantur.

Ciues omnes, & Ciuitatis artifices in Domino obsecramus, vt, quod veteris est instituti, prima quaq; die Veneris cuiuslibet Mensis de mane in Cathedrali conueniant, dum sacra Eucharistiæ solennia, & processio celebratur, vtq; interim nec officinas, vel saltem non totas, aperiant; nec merces exponãt; consequuturi X X X X. dierum Indulgentiam, quam sacris hisce officiis, dumtaxat præsentibus, authoritate ordinaria concedimus.

In reditu, eodem, quo processerunt, ordine, ad Ecclesiam, vnde discesserunt, se se referant; à qua nemo prius discedat, quàm sacris omnibus completis, vel accepta ab Episcopo (si adsit) Benedictione.

De Hospitalibus, & locis Piis. *Cap. XXXI.*

EA est hospitalium, piorumq; locorũ institutionis varietas, & ratio, vt non omnibus vna, & eadem conueniat præceptionis forma. Quò circa operepretium facturi videmur, si non nulla communibus, non nulla verò propriis decretis attingentes, ipsis aliquatenus pro nostro munere moderemur.

Sunt quidem eiusmodi pia loca à fidelibus erecta, & facultatibus aucta, ad subleuandam pauperum inopiam, ægrotantium morbos curandos, mortuorum corpora ad sepulturam efferenda, eorumq; animas diuinis officiis, ac sacrificiis suffragandas: Ad Iuuenum fouenda literarum studia; Virginesq; tuendas, & in Matrimonium collocandas; ad infantes expositos alendos: Neq; desunt alicubi, quæ insanientium, quæ Viduarum, quæue malè nuptarum curam benignè suscipiant. Hæc verò pietatis officia,

cia, non omnia in vno, & eodem pio loco, vel hospitali prę̨stari solent, sed pro loci instituto, & facultate. Qua propter illi tantùmmodò, qui prę ceteris charitate, pietate, fide, & solertia commēdentur, digni, idoneiq; habendi sunt, qui huic tàm sanctæ gubernationi meritò præficiantur.

Electi in primis iure iurando polliceri debebunt, se onera illis imposita sedulò impleturos; redditus, ac prouentus omnes accuratè, & fideliter tractaturos; nullo deniq; pacto commissuros, vt suæ in optima gubernandi prouincia partes desiderentur.

Et vt eiusmodi onera plenè, integreq; prę̨stentur, statuimus, vt tam Rectores, quàm Patroni Hospitalium, quæ danturin Titulū, teneantur Monumenta omnia, vel pias consuetudines patefacere, ex quibus eorū Iura, & obligationes liquidò cognosci possint.

Ad rectam bonorum suę fidei creditorum custodiam, & tractationem pertinet, vt quàm primùm inuētarium ritè conficiant, rationes ex Concilii Tridentini præscripto legitime reddant, ac subductas conferant; vt si quid reliqui sit, ad debitos xenodochii vsus conuertatur; & quæcunq;, his expletis, adhuc superfuerint, ex eodem Concilio aliis piis operibus deputentur. Sess. 22. c. 8. & 9. de refor. ge.

AEdificia, & Domos hospitalium, & præcipuè Ecclesias, Oratoria, & Altaria, (quæ insuper ex forma aliis Ecclesiis, & Altaribus superius præscripta instrui & ornari debent) studeant sarta & tecta conseruare; Ruinis verò ferè disiecta, ac rimosa reparent, resarciant, & reficiant.

Vt autem nullus relinquatur de ipsorum fraude suspicandi locus: à cuiusuis generis contractibus, etiam

etiam locationum, ineundis de hospitalium bonis cum propinquis vsq; in tertium gradum, abstineāt.

Bona immobilia, aut praeciosiora mobilia, non, nisi seruatis seruandis, & accedente superiorum con sensu, alicui vendere, aut quouis modo alienare liceat: Si quandò ea contingat locari, non tantùm plus offerentis habeatur ratio, quàm vt potioribus Ecclesiarum conditionibus, & vtilitate locentur.

Quęcunq; pro redditibus piis locis debentur, diligentissimè exigant; ac in accepti Codicem continuò exscribant.

Item & onera qualiacunq; iisdem imposita fideliter persoluant: persoluta in certum codicem expensi pariter referant.

Maximam verò rationem habeant in erogandis, ac dispensandis hospitalium, piorumque locorum fructibus; sed praecipuè in puellis Matrimonio collocandis, non quidem beneuolentiae, & propinquitatis, sed egestatis, & probitatis earum, quibus impartiēdę sint eleemosinę, ne charitatis specie ociosis, & inertibus nimis indulgeatur; aut pro honestis virginibus, inhonestis patere aditus videatur: Cui rei cauendae multo erit adiumento Parochi testimoniū, quippe qui suarum ouium paupertatem, probitatemq; pręter cęteros cognitam, ac prospectā habeat.

Illudq; in primis meminerint, qui hospitalium curam gerunt; Si ipsorum incuria, aut fraude fiat, vt attributi ad aegrotantium, vel pauperum vitam tuendam fructus, in alios vsus conuertantur, extremo Iudicii Die rationem Deo reposcente, se se debitas homicidii paenas meritò daturos; nam ipsis praecipuè dictum videtur, si non pauisti, occidisti.

In

In ſacris hiſce ædibus nemo ferendus erit (vel Miniſter hic ſit, vel peregrinus, aut pauper hoſpitio exceptus) qui vitam ducat inhoneſtam; aut quicquam dicat, vel faciat, quod pium, & Chriſtianum hominem dedeceat; Idq; loci præfecto magnæ curæ ſit, tùm etiam, vt ſingulo quoq, Menſe ſemel ſaltem Pœnitentiæ Sacramento expiati, Sacratiſsimam Euchariſtiæ Communionem omnes accipiant: Miſſæq; ſacro, feſtis ſaltem diebus, niſi etiam ferialibus, ibidem interſunt.

Vbi verò vtriuſq; ſexus homines hoſpitio recipi moris fuerit, ne permittantur Mares cum Fœminis, aut Pueri cum Adultis, & Viris eodem loco cubare: ſed diſtincti ſint eorum dormitionis loci, qui, niſi muro, præaltis ſaltem tabulis intermediis ſeiuncti ſint; & appoſita ad oſtium ſera, qua claudatur.

Quibus item in locis vel expoſiti Infantes, vel Orphani, vel mendicantes educantur, & enutriuntur, non modò cauendum eſt, ne Mares cum fęminis (ſi quæ ibidem fuerint) ſimul cohabitent; ne tum pueri cum maioribus natu verſentur, aut vnà dormiant; ſed inſuper danda eſt opera, vt in Chriſtianæ fidei Doctrina ſtata hora omnes erudiantur; Horarias B. M. Vir. preces, qui id facere ſciant, vel Septem Pſalmos Pœnitentiales quotidie recitent; Et qui adeò inepti ſunt, coronæ precatione piè orent; tùm litanias comuniter canant; & mane, & veſperi præfinito tempore, campanulę ritibus conuocati, pro iis præcipuè, à quibus elemoſinæ, aliaq; bona, & ſubſidia, olim profecta ſunt, & quotidie capiunt, precaturi conueniant.

AEgrotis curandis præfecti perſpiciant, ne qui

integra

integra ſunt valetudine coniunctim viuant, vel dormiant cum ægrotis, eoq; morbo laborantibus, qui illos quoq; contagione inficere poſsit; quapropter etiam diſtincta ſit ſupellex vtrorũq; vſui neceſſaria.

Miſeris hominibus morbo affectis, aliquo membro, & præſertim vtroque oculo captis, aut ſenio confectis, qui ad hoſpitalia confugiunt, humaniter, atq; hilarè quidem prębenda ſunt ad victũ, & valetudinẽ neceſſaria; Sed maiori pænitus charitate, ac ſedulitate ſpiritualia vltrò deferenda: Quapropter cùm primùm prædicti hoſpitale ingrediuntur, pręſtò ſit Parochus, vel alius Sacerdos de Ordinarii licentia, qui Pœnitentiæ Sacramentum, atq; ſacrum deinde Viaticum illis miniſtret; Et, ingraueſcente morbo, extremam adhibeat vnctionem, piaq; moribundis officia reliqua præſtet. Mortuos item honore afficiat ſepulturæ; Morientis deniq; cuiuſq; nomen, cognomen, patriam, & obitus diem in certum codicem referat.

Ab Hoſpitalibus aliiſq; locis piis procul arcendi ſunt Præſtigiatores, Circulatores, Hiſtriones, & id genus Nebulones; Necnon circumducentes ſuſſpectas incontinentię fęminas, niſi certiſsimæ conſtet legitimo inter ſe Matrimonio coniunctos eſſe; Ac tùm ſeparatis nihilominus in locis hoſpitium concedatur.

Expellendi item qui quæſtuum artes callentes, ſe mentiuntur apud hoſtes, aut Infideles fuiſſe captiuos, aut membris captos, ſeu morbos ſimulant inſanabiles.

Excludendi tandem impudentes, flagitioſi, ac vagi homines, qui cùm validi ſint, mendicare non erubeſcunt;

beſcunt; Verum etiam grauiter increpandi ſunt, atq; hortandi prædicti omnes, vt à peſtifero illo otioſæ vitę genere ad laborem denique, & induſtriam aliquam ſe conferant.

Deteſtantes poſtremo loco eorum parentum impietatē pariter, & auaritiā, qui, cùm ſibi ad proprios filios, vel ſpurios (vt par eſſet) ſuis ſumptibus, ſuoq; labore alendos, filiaſq; dotandas ſuppetit facultas; in hoſpitalia nihilominus id oneris reiiciunt. Iubemus Parochis, vt ſuos Populos ſedulò commonefaciant, illos graui hoc ſcelere obſtrictos, tam diu Sacramentalis abſolutionis beneficio carituros, quam diu quod hoſpitalibus pro filiorum ſumptibus verè debent, integrè, cùm poſſint, reſtituant.

De Funeribus, & Exequiis. XXXII.

PRIMVM omnium, cùm Epiſcopus, dum eſſet inter homines, pro paſtoralis curæ ſollicitudine non deſtiterit omnium ſaluti proſpicerè, ęquum eſt, vt poſt comunis parentis orbitatem Eccleſiaſtici homines, ac Sacerdotes omnes, quibus ille præfuit, Vrbani quàm primùm, Diœceſani verò cùm de eius obitu erit ad illos nuncius allatus, officium, vel Miſſam pro defuncto Epiſcopo celebrent, vel ſtatam ſaltem orationem pro ipſo in alio Miſſæ ſacro dicāt.

Capituli partes ſint de Epiſcopi obitu Diœceſanos certiores facere, eoſdemq; huius debiti commonere.

Vt autem à Populo etiam vniuerſo comuni eius Paſtori aliquod (vt par eſt) pietatis officium reddatur; Parochi primo quoq; tempore ad illud perſoluendum grauioribus verbis Populum adhortentur.

Cuius tàm pii officii præstandi Canonici erga defunctos Canonicos, & singulæ quæq; Parochorum sodalitates, & congregationes erga defunctos Parochos, rebus ipsis se memores probent.

Cùm ab omni Sacerdotali actione sordidæ suspicio auaritiæ, tùm vel maximè ab eo pietatis officio, quod mortuis debetur, deceat abesse, Apostolicis cautum est sanctionibus, vinculo Excommunicationis, Papæ reseruatæ obstringi Clericos omnes, tàm Seculares, quàm Regulares, qui directè vel indirectè aliquem cogunt, seu inducunt ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligat, vel, iam electam, vlterius non immutet; cui pœnæ alioquin grauissimæ, alia arbitratu nostro pecuniaria accedat.

Cap. 1. de Sep. in 6. Clem. sup. §. sane de pen.

Qua item pecuniaria pæna multabuntur, qui in exequiis, aut sepulturis quicquam pacisci, exigere, petere, aut aliquid cōmittere præsumpserint, quod auaritiæ speciem habeat: Quà propter, & quod in funere eleemosinæ nomine in pecunia dari solet, nullo pacto in Ecclesia, aut spectante Populo, Clero dispensetur; sed seorsum loco aliquo separato, exequiis, & officiis iam peractis; pœna arbitraria ab eis danda, qui aliter distribuent.

Cæreos omnes, seu funalia, quæ quocunq; modo hęredum impensa sunt ad associandum funus destinata, & si ante fores Ecclesiæ, vel alibi extinguantur, & in Ecclesiam non inferantur, ad Florentinæ Synodi Prouincialis pręscriptum ipso Iure ad Ecclesiam illam pertinere declaramus, in qua defunctus sepellitur; sine tamen pręiudicio quartæ Parochialis, si

De fun. c. 5.

extra

extra Parochialem Ecclesiam recondatur.

Parochi nullius defuncti corpus diutius præscripto à nobis tempore insepultum detineant; Nec ei sepulturam denegent propter sepulturæ iura non soluta; Nec aliquid petant, aut quicquam pignoris capiant, vt sibi caueant de mercede alioquin solita, & pia, ob operam in funeris curatione locandam; Nec vestes, aut alia ornamenta cadaueri adhibita ob aliud accipiant, quàm vt iis, ad quos pertinent, nulla facta mora restituant; nisi sponte in eleemosinam offerantur.

De mortui autem hęredes meminisse oportet, nefas, & impium esse, pias, religiosas, laudabilesq; consuetudines in debitis funerum eleemosinis erogandis, omittere, quas omninò obseruari mandamus; Quòd si post expletum funus, & conclusum sepulcrum aliquid super his controuersiæ ortum fuerit, Parochi Episcopum, seu Vicarium adeant, Manu enim regia debitè prouidebitur.

Pollinctores, Campanarum pulsatores, & alii huiuscemodi funerum coadiutores id tantùm accipiant, quod pro locorum consuetudine dari solet.

Vbi verò laudabilis illa, & nunquam satis commendata Nobilium Virorum Arretina consuetudo viget, vt nihil pro humandis mortuis mercedis ergò accipiatur, exoptamus, eandem omni pietatis studio ab vno quoq; complecti, & retineri.

Pauperum tamen cadauera, atq; adeò inopum, vt iis ad funus sumptus non suppetat, gratis pro Christiana pietate à Parochis Ecclesiæ impensa, vel conquisita piorũ hominum eleemosina, adhibitisq; saltem duobus luminibus, sine mora sepeliantur.

Y 2 Vnicuiq;

Vnicuiq; sepulturę locus intelligatur esse in propria Parochia, nisi alibi maiores sui sibi, posterisq; sepulcrum posuerint, vel ipse, dum viueret, alium sepulture locum elegisse, summariè (legitime tamen) probatum fuerit: Tunc enim ibi sepeliatur; Proprio verò Parocho nil penitus de consueta funeris exequiarumue eleemosina detrahatur, sed integrè ea persoluatur.

Peregrini, & Aduenæ, qui non electa sibi sepultura, decesserint; si in Ciuitate; in Cathedrali sepeliantur; si in Castris; & vbi plures sint Ecclesiæ Parochiales; in primaria Ecclesia; ita tamen, vt Rector Ecclesiæ, intra cuius Parochiæ limites obierint, cuius fuit Sacramenta iisdem administrare, partem funeralium debitam consequatur.

Si quis intra alienæ Parochię, fines (quod Deus prohibeat) interficiatur: possit liberè aliò transferri; modò nulla funebris pōpa adhibeatur. Sin autem cū illa transferatur, tanta illius Parochiæ curatori eleemosinę portio detur, quanta pro funebri officio propriis Parochis persolui consueuit: nec prius vnquàm in Ecclesiam cadauer introducatur, quàm à seculari Magistratu, si id illi competat, inspectum fuerit.

Verùm si ex febri, aliouе morbo quis, dum recreationis, vel alterius rei causa ruri, vel alibi extra propriam Parochiam reperiebatur, commoriatur; nec ibi sepulturam elegerit; Parochus, in cuius Parochia is decessit (& si in administrandis ægro Sacramentis, curandoque funere omnem laborem subierit) tertiam tantùm partem illius eleemosinæ habeat, quę Parochiali iure, funeris ratione debetur,

tur, reliquamq; proprio defuncti Parocho omninò persoluatur.

In Oratoriis sodalitatum laicorum, & Ecclesiis Monialium nemo vnquàm inconsulto Ordinario sepeliatur: Quòd si quando ab eo fuerit permissum, nullo interim Parochus iure suo, & emolumento fraudari possit.

Nullus tam Secularis, quàm Regularis Clericus audeat vnquam, Parocho defuncti non assistente, vel saltem permittente (si Episcopi, vel Vicarii licentia tunc non intercesserit) pro funere Parochiam aliquam ingredi, & inde Corpus Mortui asportare: Qui contrà fecerit, graui pœna arbitrio nostro plectetur.

Caueāt Parochi, ne simplices homines quicquam in feretro, aut in demortui manibus ponant, quod superstitionem redoleat: hortenturq; perhumaniter Mulieres nimis magnos tollentes in suorum funere clamores, vt se Domi contineant; Quòd si nihil profecerint, eas nullo pacto Ecclesiam tunc ingredi sinant.

Nulla item ratione ferendus est abusus, de quo ad nos per latum est; Vt defunctorum corpora, & præsertim infantium, à quoquam accipiantur, seu cuiuis tradantur, quo noctu, vel alias occultè ad Ecclesiam delata, terræ bestiarum more mandentur: ita enim facilè fieri posset, vt in sacrilegas eorum manus incidant, qui cadauera quandoque sacris ex locis impiè student auferre; vt illis ad propriam, & alienam perniciem, & calamitatem, in suis cantionibus, & veneficiis abutantur: Idcircò decernimus, & sub excommunicationis pœna iubemus,

Vt

Vt fidelium defunctorum corpora, etiam infantium accersito Parocho cõgruas preces recitante, cũ Clerico Crucem preferente adhibitisq; duobus saltem luminibus in Ecclesiasticã inferenda sepulturam, decore, & absq; Diabolicæ iniuriæ periculo portẽtur.

Quando verò quiuis defunctus sepulturæ mandandus erit, aduertat diligenter Parochus, ne tunc maioris Missæ, vel Vesperarum officia impediri possint: Diebus verò festis, si absq; Missa sepelliendus erit, in Ecclesiam nunquam inferatur, nisi Missarum celebratione absoluta; Nec item illum efferri noctu sine Ordinarii concessu permittat; Nec prius quàm ad minus duodecim horæ exactæ sint post eius obitum; nisi repentina obierit morte; Tunc enim sepulturæ non tradatur, nisi viginti quatuor post horis, quàm ille spiritum emiserit; Diutiusq; nullus vnquàm detineatur.

Congruum videtur esse, vt Rector Ecclesiæ defunctorum officia celebraturus, vel in funus processurus, primùm accersat si quos habet animarum curæ gerendę socios, collegas, Adiutoresq;, vel illius Ecclesię titulares, aut Capellanos; deinde quos mortui hæredibus adhiberi placuerit.

Vocati ad funus, non alios pro se mittant, eleemosinæ partem ipsi percepturi; Qui verò pro alio accedit, plus non capiat, quàm quantum sibi proprio nomine dari debet.

Nihil autem eleemosinæ nomine dari liceat, nisi ei qui defunctum elatum è Domo, Clericali Bireto, Cotta, seu alio habitu, quo vti potest, in Ecclesia indutus ad Ecclesiam reduxerit.

Quicunq; funeri educendo interesse debent; hora

ra cõſtituta in Parochialem Defuncti Eccleſiam conueniant; Et layci præſertim piam eidem operam prę ſtaturi, ita maturè accedant, vt expectent potius, (quod magis decet) quàm à Clero expectentur.

Sed ſi Cathedralis Eccleſiæ Capitulum funeri intereſſe debebit, nõ in Eccleſia Parochiali, ſed in ipſa Cathedrali omnes præſtò ſint, vt inde funeris proceſſio inchoetur.

Cum Cadauer, Cruce ſemper præcedente, effertur, via procedatur, quæ breuior ſit, niſi Sacerdotum numerus aliud expoſcat; tunc enim, ſi Capitulum Cathedrale non interſit, arbitrio Parochi, qui funeri præeſt, Via paulò longiori funus ducatur: Campanæ etiam ne prolixius quàm par eſt, cum auditorum moleſtia pulſentur.

Procedant omnes bini, qui funus proſequuntur, ſtatas preces, & Pſalmos, cæteraſq; Orationes ex Eccleſię ritu pia, conſonaq; voce decantantes; & ita compoſitè, ac religiosè, vt populus ad orandum pro Defuncti anima, & ad mortis cogitationem excitetur; Eoq; ſint ordine diſpoſiti, vt Parochus (excepto Canonicorum Capitulo) primum obtineat locum. In ea verò Eccleſia, in qua Mortuus ſepelliendus erit, is primas agat partes, atq; officium abſoluat, cui id muneris incumbere debet, aut conſueuit: Quo ad reliqua, ea ab omnibus diſciplinę ratio integrè ſeruetur, quam ſuperius iis præſcripſimus, qui ad proceſſiones conuenire debent.

Funalia, ſeu Candelas à quolibet, cuiuſcunq; ſit ille Dignitatis, gradus, aut ordinis, propriis manibus in funeris comitatu deferenda, ſinguli cum ad Eccleſiam peruenerint, oportunè accenſa retineant; de-

functi

functi corpus suo ordine dispositi circunstent; ac instituta officia, ceremonias, & ritus Ecclesię celebrent, & perficiant.

Eorum nemini, etiam si Regulares sint, antequàm institutum officium absolutum, atq; peractum fuerit, ab ea Ecclesia discedere liceat, sub pœna amissionis acceptæ eo nomine eleemosinæ; quá ipso facto illius Ecclesiæ Sacristiæ vsibus deberi declaramus: Tuncq;, si Capitulum Cathedrale aderit, ad Cathedralem Ecclesiam ab omnibus Clericis, exceptis Collegiatæ Ecclesiæ Canonicis, omnino deducatur: Qui contrafecerit, graui pæna afficietur.

Syn pr. Fl. de fun. c. 4

Si quandò habéda erit laudatio ad funebrem Concionem, seu ad Populum funus comitantem; ea non nisi Episcopo probata, neq; alibi tunc, quàm in Ecclesia, habeatur.

Const. Pii V. edi. cal. Apr. 1566

Cadauera non in excelso, & ornato loco recondantur, sed vel in Cœmeteriis vndequaq; clausis, vel in sepulcro, fornicato opere, & duplici lapideo integumento eius ori (ne vnquam feteant) benè accommodato; relicto inter vtrunq; aliquo spatio pro terra interponenda: Pauimentum autem nunquàm pro quouis sepeliendo effodiatur, pœna excommunicationis; ne ex huiusmodi fractione deformetur, & detrimentum patiatur.

In sepulcrorum ipsorum integumentis, & ornamentis, ne Crux, sacraue alia Imago sculpatur; Ne item effigies aliqua, vel literæ, aut quicquam, quod pauimentum Ecclesiæ, vel minimum excedat, & superet. Quæ verò pauimentum Ecclesię impresentiarum excedunt, & ab eius solo aliquo pacto extant, vel eminent; intra duos Menses sub pœna arbitrii

bitrii

bitrii nostri tollantur, & solo adęquentur.

Sepulcra etiam Clericorum, quæ vel subtus Altaria sunt posita, vel quæ adeò Altaribus propinqua sunt, vt Tumbæ, vel sub ipsa Altaria, vel eorum penetrent scabella, ad sepeliendum de cętero non adhibeantur; Et in ipsis Altaribus non celebretur, donec defunctorum ossibus, intus existentibus, exhumatis, & alibi, in sacro tamen loco reconditis, sepulcra ipsa amoueantur; Qui non paruerit, suspensionis pœna, seu alia arbitrio nostro plectetur.

Nulli prætere a liceat Clerico tam Seculari, quàm Regulari, vt Apostolicę Visitationis decreto sancitur, locum in Ecclesia ad noua Sepulcra extruenda, aut iam extructa alicui quouis titulo concedere, seu assignare, sine Episcopali consilio, vel assensu.

Nullus pręter defuncti Parochus, eo cõtradicẽte, defuncti ipsius Domũ ingrediatur, vt Aqua Benedicta eũ de more aspergat; quauis cõsuetudine (quę potius corruptelæ nomẽ meretur) cõtraria nõ obstãte.

Cõfessio illa, quæ ante fores Ecclesiæ illius, in quã defunctus effertur, ad populum funus comitantem, & Ecclesiam non ingredientem, à Sacerdote haberi solet, nunquam Domi ipsius defuncti, aut alibi habeatur, sub suspensionis pœna.

Superstitio itẽ illa sudariolũ, vel lini manipulũ, aut qd simile Cruci annectẽdi, cũ domo cadauer efferẽdũ est, sub eadẽ pęna ipsi Parocho subeunda, oĩno tollat̃.

Prandiũ, quod defũcti hęredũ sũptu ex ꝓpinquorũ ruribus, & villis Sacerdotibus ex locis finitimis ad exequias, seu anniuersaria cõueniẽtibus parari solet, de cętero domi illius Parochi, intra cuius Parochiæ limites diuina peragũtur officia, & nunq̃ in Cauponis,

aut alibi paretur: Sacerdotes verò, aliiue Clerici, qui intersunt, ne plus commessationibus, & ebrietatibus, quàm piis precibus, & pietati studere videantur, euigilent, vt omnibus clarum modestiæ, & sobrietatis exemplum relinquant.

Licet Missa, cum Mortui corpus sepeliendum est, quocunque die etiam Dominico, & Festo pro eo celebrari possit; Caueant nihilominus Parochi, ne defunctorum anniuersaria officia Dominicis, ac Festis diebus, & multò minus solennibus, ac Paschalibus peragant; Quòd si in aliquem ex dictis diebus incidant, nullaq; dubitatio caducitatis bonorũ inde contingat exoriri, ea præcedenti die, simili festo non impedita, celebrentur; cùm melius sit preuenire, quàm postponere; sin verò de aliqua caducitate dubitari possit, ad Visitationis Apostolicæ præscriptum Missa Anniuersariorum huiusmodi eo die summo mane, & adeò tempestiuè celebretur, vt Missa solennitatis tunc occurrentis hora cõsueta decãtari valeat.

Cùm ex noui Missalis, & Breuiarii reformati Rubricis sit præscriptũ, Missam non solũ, sed & officiũ Mortuorum pro defunctis Sacerdotibus feria secunda cuiuslibet Hebdomadæ, & prima die cuiuscunq; mensis nouem lectionum Festo nõ impeditis, & extra tempus Paschale occurrentibus, esse celebranda; eorumq; omnium, qui pro suarum animarum salute pia legata reliquere, commemorationem habendam esse; Propterea Rubricas huiusmodi, & à Canonicis, & Capitulo Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum, & à Parochis, aliisue omnibus, ad quos quauis ratione spectat, seruari mandamus; cuiuslibet cõscientiã aggrauãdo, qui in hoc negligens erit.

Funalia,

Funalia, Cęrei, & Candelę, quæ in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum super Sepulturis, vel Altaribus, seu alibi in Ecclesiis, & Cęmeteriis accendũtur, illius Ecclesiæ lucro cedãt, in qua, seu in cuius Cœmeterio accensa fuere, nec aliquo pacto ex eis auferantur, aut adimantur, ipsius Ecclesiæ inuito Rectore, sub excommunicationis pœna.

Et quoniam non omnium Defunctorum Corpora Ecclesiasticæ mandanda sunt sepulturæ, aut tali digna honore existimanda; quædã frequentioris euentus, vt Curatis magis in promptu sit, quomodo in iis se gerant, hoc loco explicare opere pretiũ duximus.

Ab Ecclesiastica sepultura arcendi sunt publicè excommunicati, & denuntiati.

Notorii Clericorum percussores, etiam nulla facta declaratione, aut denunciatione.

Interdicti, dum viuerent, ab Ecclesiæ ingressu.

Mortui in Duello, aut in prohibitis torneamẽtis.

Impenitentes, & Vsurarii manifesti, nisi hos, & penituisse, & alienum reddidisse, vel restituendi cautionem idoneam reliquisse, prius constiterit.

Quicunq;, vel Infantes, vel Adulti sint, qui, absq; Baptismo decesserint. Fętus tamen, qui moriente Matre, in Vtero obierit, cum ea in loco sacro sepeliri debet, tanquàm pars viscerum ipsius.

Qui in peccato mortali publico, & manifesto è vita migrauerint, nulli saltem contritionis edito signo.

Qui de industria, dataq; opera se ipsos vita quoquo modo priuauerint, nisi ob fatuitatem, furorem, aut insaniam id fecerint; Huius autem iudicium ad Ordinarium spectet.

Qui eo anno confessi non fuerint, & sacram Com-

munionem ex Ecclesiæ præcepto non sumpserint: idque ad obitum vsque præstare neglexerunt.

Prædicti omnes, compluresq; alii iuxta Canonicas sanctiones infra mutas pecudes mortui mandentur; & tàm longè ab Ecclesia proiiciantur, vt inde Clericorum in ea canentiũ voces non valeãt audiri.

Qui verò huiusmodi, aut alios, quibus Christiana sepultura denegari debet, in eam sine Episcopi licentia intulerit, funeri interfuerit; præter pœnas à sacris Canonibus impositas, aliis quoque grauissimis Episcopi arbitrio punietur.

Librum denique vnusquisque Parochus habeat, in quo defunctorum nomina, cognomina, diem, mensem, & annum, obitus, & alia describat, iuxta formulam post has Constitutiones præscriptam.

De Examinatoribus Synodalibus. Cap. XXXIII.

Sessio. 25. cap. 18 de ref. gen.

CVM ex sacri Tridentini Concilii præscripto sex ad minus in vnaquaq; Diœcesana Synodo eligendi sint, qui cum Episcopo, seu eius Vicario examen perficiant eorum, qui Parochialibus Ecclesiis gubernandis præfici debeant; eos omnes, qui tum in præsenti, tum in futuris Synodis electi fuerint, iis, quæ sequũtur, Decretis sui muneris operepretium duximus admonere.

Primùm igitur ii, quibus hoc examinandi onus à Synodo delatum fuerit, si præsentes erunt in eadem Synodo ad sancta Dei Euangelia iurent, se, quacunque humana affectione postposita, munus huiusmodi fideliter executuros; Absentes verò id faciant priusquã hoc examinandi officiũ obire aggrediãtur.

Meminerint autem, vt quod ſanctè polliciti fuerint, diligentiſſimè prẹſtent; Caueantq;, ne ſpe, metu, præmio, aut perſonarum ratione, aliquoue affectu ad alicuius fauorem ducantur, aut moueātur; Et propterea ne quicquam prorſus occaſione huius examinis, nec antè, nec poſt accipiant; Alioquin, ſciant Simoniæ vitio, tā ipſos, quàm dantes ex Tridentina Synodo ſubiectos eſſe; nec ab ea abſolui poſſe, niſi dimiſſis beneficiis, quẹ etiā antea poſſidebāt quomodocūque; atq; inhabiles reddi ad alia in poſterū obtinēda. Eiſdem ſeſſ. & c.

In examine conficiendo non ſolùm ætatis, morum, doctrinæ, prudentiæ, aliarumq; rerum, quæ ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportuna videantur, præcipua habeatur ratio, ſpecteturq; diligenter, an aliquid ſit impedimenti, quo minus eis huiuſmodi cura cōmitti debeat; verùm etiā vultus, geſtus, ſermo, & Clericalis habitus, (quo par eſt examinandos indutos eſſe) inſpiciatur; Quòd ſi aliquis Clericali habitu pro ſui ſtatus, & ordinis cōgrua ratione veſtitus nō fuerit, ad examen non admittatur.

Quoniam verò non eadem omnium locorum, beneficiorumq; eſt ratio; neque omnia tenuia beneficia omnibus numeris abſolutum Rectorem habere poſſunt; Idcircò videant ipſi diligenter, ne vniformem examinādi rationem omnibus promiſcuè proponant; Sed aliis aliā, &, pro varia Eccleſiarū conditione, aliquid in examinādo diſcriminis ponendum ſibi eſſe exiſtiment; Et propterea intelligāt, priuſquā examen aggrediantur, qui, qualis, & quàm numeroſus ſit populus, cuius curā eſt ſuſcepturus examinandus; Cuius redditus ſit beneficium, & quo loco ſitū, vt magis dignoſcere valeant, quid eis gerendum ſit.

Et vt

Et vt omnia æquo procedant gradu inter examinandum, cùm plures se obtulerint examinandi; Qui prius nomina dederint, ii primùm ad examen admittantur; aut, si ita expedire videbitur (quod Romæ quandoque fit) omnes simul ad conspectum examinatorum conuocentur, & examinentur.

In quo tamen (cùm videlicet separatim examinantur) illud æquitatis ratio postulare videtur, vt examinatores de eadem re per easdem interrogationes singulos quosque examinent; vt facilius, & verius de vnoquoque periculum fieri possit, omnisq; iniuriæ faciendæ tollatur occasio, & æqualitas quoad eius fieri possit seruetur.

Nullus item examinatorum quemquam eorum, qui examinandi sunt, priuatim doceat; Quod si fecerit, hac de re Episcopum moneat, vt alterum in eius locum accersat; Si verò monere negligens, examini pręsens fuerit, periurii, & excommunicationis pœnam subeat.

Consentaneum, & valdè accommodatum ad rem, de qua acturi sunt examinatores, videtur, vt peracto examine non nulla inter se de eorum, qui examinati fuerunt, peritia, probitate, & aliis in examine, & alias cognitis, colloquantur; vt melius suę consulant conscientiæ; Et deinde non voce, aut nutu, sed tectis suffragiis, quod Spiritussancti numen (qui in suo nomine congregatis nunquam non præstò est) illis suggerere dignabitur; id maturè, sanctè, & omni procul fraude exequantur; Caueantq;, ne Dei timore posthabito, quemquam, quem indignũ norint, probent; aut quem idoneum cognouerint, repellant; Sciantq; denique, quòd si in hoc officio se negligen

tes

tes præbuerint, aut aliàs malè se gesserint, Deo omnipotenti admissæ in hoc genere culpę rationem exactam reddituros.

Quicquid verò inter sermocinandum, aut examinandum contulerint inter sese, nemini patefaciant, sub pœna Ordinarii arbitrio infligenda.

Peracto deinde examine renuncientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint ad vacantem Ecclesiam gubernandam; vt ex ipsis ille eligatur, quem cęteris magis idoneum iudicauerit is, ad quem spectabit electio.

Quicunque autem, vel per examen in concursu, vel quòd à Patronis præsentati sint, seu alias sine cõcursu approbati fuerint, ante quàm de beneficiis prouideantur; volumus singulos præscriptæ singulis in fine harum constitutionum Sacramenti formæ obligari.

Sciant quoque qui Ecclesiastica beneficia, etiam simplicia sibi cõferri, seu obtinere desiderant, quòd ex Sixti Quinti constitutione de habitu, & Tonsura, ea in futurum non nisi actu Clericis in habitu Clericali, & Tonsura incedentibus, conferentur. Incip. cum sacros. ędi. 5. id. Ian. 1588.

Ne beneficia Ecclesiastica ob eorum diuturnam vacationem in spiritualibus, aut temporalibus detrimentum aliquod patiantur; Ii, quibus ordinaria auctoritate ab Episcopo, vel Vicario alicuius beneficii collatio fiet, infra trimestre tempus ad summum, literas huiusmodi collationis expedire, & possessionem ipsius beneficii actualem consequi curent; Alioquin, si negligentes in his se prębuerint, hac Synodali Constitutione in beneficii ipsius priuationis pœnam eos statim incurrisse sancimus, nisi docuerit per

eos

eos nequaquam ſtetiſſe, quin & literas expedierint, & beneficii poſſeſſionem adepti fuerint.

Conſecuti verò, vel à Sede Apoſtolica, vel ab alio, præterquàm ab Ordinario qualecunque Eccleſiaſticum beneficium in Arretina Diœceſi, ſuæ prouiſionis Bullas ante duos exactos Menſes, ab accepta poſſeſſione cōputandos, Ordinario præſentare teneantnr; Alioquin, tertia parte fructuum vnius anni, vſibus piis applicanda, priuari poſſint.

De Iudicibus delegatis. Cap. XXXIIII.

Seſſ. 25. c. 10. de ref. gen.

Cap. Statutum de reſcr. in 6.

CVM ad Tridentini Concilii præſcriptum in hac Diœceſana Synodo Iudices eas qualitates habentes, quę iuxta Conſtitutionem Bonifacii Octaui incip. Statutum; quibus cauſæ Eccleſiaſticæ Spirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes delegentur, deſignati fuerint; Eos præſenti Decreto eiuſdemmet Concilii authoritate monitos volumus, vt terminandis cauſis quanta fieri poteſt breuitate ſtudeant; ac litigatorum partibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte Iudicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant. Inſuperq; vt facultatum ſuarum limites non tranſcendant, ſecundum acta, & probata iudicent; vnicuique quod ſuum eſt, reddant; meminerintq; ſe Iuſtitię Miniſtros eſſe, Dominiq;, & non hominum exercere Iudicium; denique dent operam, vt per ipſos nunquam ſtet, quò minus cauſæ citò expediantur.

Nomina eorum, qui ad id muneris electi fuerunt, & in poſterum eligentur, loco conſpicuo in Sacri-

ſtia

ſtia Cathedralis Eccleſię, vt omnibus innoteſcant, proponi mandamus.

De Teſtibus Synodalibus. Cap. XXXV.

TESTIVM Synodalium partes erunt in Ciuitate, aut ea Diœceſis parte, vnicuique eorum commiſſa, hæc potiſſimùm inquirere, & per ſe ipſos ſedulò inueſtigare.

An qui Reſidentię legibus tenentur; Et Parochi præſertim, ad præſcriptum aſſiduè reſideant, gregiq; eorum curæ commiſſo, die, noctuq; inuigilent.

An in Verbi Dei prędicatione, Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutione, & Sacramentorum adminiſtratione diligentes ſe præbeant.

An tàm ii, quàm Clerici omnes habitum, & Tonſurã Clericalem pro ordinis ratione geſtent; Et vnuſquiſque in Eccleſiis, in quibus adſcriptus eſt, debitas functiones exerceat.

An Conſtitutiones, quæ præcipuè vitam, & honeſtatem Clericorum reſpiciunt, ſeruent.

An ita viuant, atque in officiis ſuis ſe gerant, vt omnes ædificent, omnibuſq; rectè, pieq; viuendi exempla præbeant; neminem verò offendant.

Quàm item piè iidem; quàm cęteri omnes, & laici, in Eccleſiis verſentur; quàm ſanctè Miſſæ ſacrificio, Diuiniſq; officiis, & prædicationibus interſint; & quàm Religiosè Ieiunia, Feſtoſque dies ſeruent, & colant.

An ſint publici Sortilegi, Blaſphemi, Cõcubinarii, Adulteri, Inceſtuoſi, Coniuges ſeparatim cõmorantes; Vſurarii, Bonorum morũ corruptores; à fidei ve

ritate declinantes; aliſue cum ſcandalo, & populi offenſione viuentes.

Hæc, & alia quæcunque ſciuerint, viderint, ſeu audiuerint fieri, vel facta fuiſſe contra Dei pręcepta; Eccleſiæ leges; huius Synodi Decreta; aut contra Catholicam rectè viuendi diſciplinam; ſeu quæ correptionem, emendationem, aut reformationem deſiderare cognouerint, fideliter, ſummaq; integritate ea omnia Epiſcopo, ſeu eius Vicario referre, ſignificareue ſtudeãt; Curentq; omni ſtudio muneri ſibi cõmiſſo ſatisfacere, pro vt ſe iure iurãdo obſtrinxerũt.

Et ne (quò minus liberè, & integrè id exequãtur) ſpe, metu, odio, amore, præmio, cognatione, aut aliqua alia humana affectatione impediantur.

Iuramenti formulam ab vnoquoque eorum præſtandi, in fine Synodalium horum Decretorum inſerendam cenſuimus.

De Rebus Eccleſiæ, piorumue operum Iuribus tuendis. Cap. XXXVI.

EST à ſacra Tridentina Synodo, ſacris Canonibus, Pontificiiſq; Conſtitutionibus de bonis Eccleſiæ rectè tractandis; de piorum locorum, & operum Iuribus tuendis; deque Decimis debitis perſoluendis, adeò ſapienter ſancitum, vt ad ea reiicientes in primis Eccleſiaſticos viros, nihil magis expedire arbitremur, quàm vt eadem omni ſtudio ſeruentur.

Propterea caueant Eccleſiarum Rectores, piorum locorũ gubernatores, & adminiſtratores, aliiue quęcunque beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, quiue in poſterum ea obtinebunt, ne bona Eccleſiaſtica vendant; permutent; in emphiteuſim concedant; aut

quouis

quouis alio modo, & titulo alienent sine consensu nostro; Tuncq; iis seruatis, quæ iuxta ipsius Concilii, Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum dispositionem requiruntur; Alioquin Iuris pœnis, aliisue grauissimis arbitrio nostro plectentur.

Caueant quoque eorundem locorum Rectores, ac administratores, ne eadem bona suis affinibus, cognatis, consanguineis, aut beneficiorum ipsorum Patronis, seu iis, quorũ cessione beneficia illa obtinuerunt (ne per suppositas quidem personas) ac ne ad breue quidem tempus vllo modo locent, aut eis concedant; nec item ea ipsi Rectores per se, aut per interpositam personam vllatenus conducant, pœna excommunicationis latæ sententiæ, iis proposita, qui contrafecerint absque superiorum consensu.

Et quoniam bona ipsa vendi, permutari, locari, & in Emphyteosim, seu ad tertiam vsque generationẽ, aut alio quouis modo, nisi in euidentem Ecclesię vtilitatem concedi non debent; Caueant item Rectores, & administratores prædicti, ne rei sic locatæ, concessæ, aut alienatæ prius possessionem tradant (etiam si ea lege fuerit facta concessio, seu alienatio, vt superioris authoritate muniatur, & cum clausulis non alias, aliter, nec alio modo) quàm ipsa concessio, seu alienatio, vel earum contractus ad Episcopalem Curiam deducatur; & à delegatis Apostolicis virtute rescripti à Sede Apostolica impetrati, vbi Apostolica authoritas requiritur, alioquin ab eis, ad quos spectabit, per sententiam confirmata fuerint; Si secus fiet, & nulla, & irrita concessio, seu alienatio ipsa sit; & contrahentes pœnas Iuris, & alias grauissimas arbitrio nostro infligendas incurrant.

Vicarius generalis, aliiq; Iudices authoritate Apostolica, alienationes, si in euidentem Ecclesiæ vtilitatem cedant, confirmaturi, maximoperè caueant, ne negligenter eo fungantur munere; verùm per se ipsi omnia sedulò curent, & scrutentur; In rem etiá pręsentem euntes, ne ipsi quoque dilapidantium Ecclesiæ bona culpam, & pœnam meritò subeant.

Si Ecclesię bona, alias locata, seu quouis modo alienata, quacunq; ratione in cõmissum ciciderit; Nemo eorũ caducitaté in damnũ Ecclesiæ remittere valeat; Nec ea amplius, cũ vel per se, vel alia ratione ad Ecclesiá redierint (etiam si reliquis Ecclesię bonis vnita nõ sint, & incorporata) ad longũ tẽpus locentur; Neue quouis nomine alienentur sine superiorũ concessu; Sin secus fiat, nullum, & irritum censeatur.

Conc. Tr. Sessio. 25. cap. 11. de ref. gen.

Locationes, si quæ fiant, anticipatis solutionibus, nullatenus in pręiudicium successorum firmę, aut validæ intelligantur.

Vt Ecclesiæ bona in Emphiteosim perpetuam, vel alias in longum tempus ritè, & rectè concessa, perpetuò illęsa cõseruentur, ne temporum iniuria eorum memoria deleatur; Pręcipimus eorundem possessores à Rectoribus, & Administratoribus Ecclesiarum monendos, & omnibus iuris remediis adigendos ad faciendam intra annũ, & deinde saltem quolibet decennio (nisi frequentius requirantur) bonorũ concessorum recognitionem, scriba adhibito, qui in publicas tabulas eam referat, exprimendo singula Ecclesiæ bona, eorumq; situm, mensuram, terminos, recentiora vocabula, cæteraq; id genus opportuna; huiusq; recognitionis exempla ad Episcopalem Curiam transmittant.

Qui emphyteotæ ſi requiſiti id facere recuſauerint, à iure ſuo cecidiſſe cenſeantur, & bona ad Eccleſiam eo ipſo rediiſſe.

In futuris verò conceſſionibus hęc conditio inter alia pacta apponatur; vt Emphyteuta, etiam non requiſitus, quolibet decennio prædictam facere teneatur bonorum recognitionem; Alioquin, & eas irritas, nullaſq; decernimus: & Rectores, qui (vt præmiſſum eſt) monere, & requirere prætermiſerint, aut talem conditionem apponi neglexerint, decem ſcutatorum pœnæ ſubiicimus.

Bona Eccleſię nec vltra triennium, nec ea lege locentur vlli, vt cum ad Eccleſiam redierint, debeant à Rectore, quæ conductor fecerit meliora, compenſari; ſed eadem reddantur, ſine vlla reſtitutione pecunię exornationis, aut exædificationis cauſa erogatę. Licebit verò ſolùm in triennali locatione paciſci, vt tertia pars Canonis, in ſingulos annos ſoluendi, relinquatur conductori pro neceſſariis, & vtilibus impenſis, ex pacto re vera faciendis; & deinde exiſtentibus; dummodò completo triennio bona Eccleſiæ libera remaneant.

Vaſa, aut Veſtes ſacro vſui dicata nulli Rectorum abſque Ordinarii licentia, ſcripto exarata, liceat vendere, permutare, aut pignori dare, aut quouis modo alienare. Si ſecus fiat, & Rector arbitrio Epiſcopi puniatur, & res ad Eccleſiam, quàm primùm redeant; etiam ſi nulla dati precii, vel pecunię acceptæ facta ſit reſtitutio; Ad quam decernimus ſucceſſorem in beneficio nunquàm teneri.

De

De vltimis voluntatibus piis. *Cap. XXXVII.*

NE Ecclesiarum' Piorumue operum Iura ex vltimis voluntatibus, aut alia quauis ratione sibi obuenientia, executorum, seu Notariorum culpa debito careant effectu: Sub excommunicationis pœna (cuius absolutionẽ Episcopo reseruamus) Iubemus primùm hęredibus, fidei commissariis, Testamentariis, vt relicta ad pias causas, intra constituta ibidem tempora, alias intra annum à die obitus piè disponentis, persoluant; idque se præstitisse, legitimè nobis probent. Si cui verò statis temporibus adimplendi facultas verè desit, opportunè à nobis petenti tantum temporis prorogabitur, quantum, rei, & personæ conditione perspecta, nobis videbitur expedire.

Mandamus item sub eadem pœna scribis omnibus, ac Tabellionibus, vt intra duos menses ad summùm, ex quo de Testatoris obitu cognouerint, Curiam nostram, & Ecclesiarum, Piorumue Operum Rectores, & Pręfectos, quorum intererit, de piis dispositionibus pr(e)dictis faciãt certiores; Et earũdem exemplum, ex iis, quas apud se habent, Tabulis, & Protocollis, vel à se, vel ab alio conscriptis desumendum, ad Cancellarium Episcopalis Curiæ deferant: Qui in certum librum ea omnia Ecclesiarum Iura cum Notarii, & piè disponentis, aut concedentis, Testiumq; nominibus, Die, Mense, & Anno describat; accepturus tàm ipse, quàm Notarii debitam arbitrio nostro suæ operæ mercedem, ab iis, de quorum agitur commodo, persoluendam.

Volumus pariter sub pr(e)dicta pœna teneri Notarios

rios omnes ad proferendas intra idem tempus à publicatione horum Decretorũ, alias ſcripturas quaſcumque tenent, vel à ſe, vel ab aliis confectas, in quibus aliquid ad Eccleſiam, vel pia opera quocumque iure, vel cauſa ſpectare declaretur; Nec non ad earum exempla tradenda, vt ſuperius dictum eſt.

Eidem quoq; pœnæ ſubiecti ſint alii quicunque, licet non Scribæ, & Notarii, qui vel penes ſe ſyngraphas aliquas ad Eccleſiæ, Piarumue cauſarum vtilitatem pertinentes, tametſi contra ſe ipſos facerent, occultas detinent; vel ſcientes ab aliis ſupprimi, aut clàm haberi, non detegunt.

Excommunicationis vinculo eos etiam illigamus, & obſtringimus, qui directè, vel indirectè quouis prætextu dehortantur, diſſuadent, aut impediunt infirmos, alioſuè, ne ad pias cauſas legent, ac teſtentur; aut eis donent, cùm id legitimè poſſint.

Clericorum ſimiliter hæredes, quæcunque hereditariis in bonis repererint Inſtrumenta, libros, aut Scripturas ad Eccleſiam quoquo modo ſpectantes (etiam ſi Rectoris vita functi ſumptu, olim confecta fuiſſent) ſub eadem excommunicationis pœna, quàm primùm gratis, licet non requiſiti, exhibeant ſucceſſori; quod item facere teneantur Eccleſias reſignantes.

Parochi, & Concionatores ſemel in Aduentu, atque iterum in Quadrageſima doceant, quàm ſit graue peccatum, atque nefarium Sacrilegium, fructus, bona, Iura, emolumenta, & obuentiones quaſcunq; Eccleſiarum piorumue operum ſibi vſurpare, aut impedire, ne ab iis, ad quos Iure pertinent, percipiàtur; Et eiuſmodi vſurpantes, vel impedientes anathema-

ti tàm diu ſubiici, dum prędicta bona, ſeu Iura, quæ ad eos quomodocunque, etiam ex donatione, ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, integrè cui debentur, reſtituerint; ac deinde à Summo Pōtifice abſolutionem obtinuerint. Id quod, vt aptius à Parochis fiat, Decretum Cōcilii Tridentini in ſeſſione 22. cap. 11. populo decernimus tertia quaque Dominica Aduentus, & Quadrageſimæ promulgandum ſub infraſcripta verborum forma.

Se alcun Cherico, ò laico di qual ſi ſia degnità, etiā che foſſe Re, ò Imperatore, ſi laſcerà in modo tale occupare, & accecare dalla cupidità, radice d'ogni male, che per ſe, ò per mezzo d'altri ardiſca, ò preſuma, vſando forza, ò mettendo paura, ò ſpauento; ò vero col mezzo di perſone ſuppoſte di Cherici, ò laici, ò con qual ſi voglia arte, ò queſito colore, vſurpare, e conuertire in vſo proprio le iuriſdizioni, beni, Cenſi, e ragioni, etiam feudali, & Emphiteotici, ò liuellarii, frutti, emolumenti, ò vero qual ſi voglia altra ouuentione, ò rendita di alcuna Chieſa, ò di qualūque benifizio ſecolare, ò regolare, di Monti di Pietà, e d'altri luoghi pii, i quali ſi debbano cōuertire, e ſpendere per li biſogni, e neceſſità de Miniſtri di detti luoghi, ò di poueri; ò vero preſumerà impedire, che nō ſi piglino, ò riſquotino da quelli, a' quali giuridicamente appartengono; queſto tale ſtia ſcomunicato fino à che reſtituirà interamente alle Chieſe, e loro Amminiſtratori, ò benefiziati le iuriſdizioni, beni, robe, ragioni, frutti, e rendite, le quali haurà occupate, ò che in qual ſi voglia modo gli ſarāno venute alle mani, ancora che per donazione di ſuppoſta, ò interpoſta perſona; E fin che dipoi haurà ottenuta

l'assoluzione dal Papa; E se quel tale sarà padrone del la detta Chiesa, oltre le sopradette pene si intenda, ipso fatto, senza altra dichiarazione, priuato delle ragioni del padronato; Ma se sia Cherico, e che sia stato fabbricatore, ò mezzano di questa nefanda, e scelerata fraude, & vsurpazione, ò che ad essa habbia prestato il consenso, sia sottoposto alle medesime pene, & oltra cio sia priuato di tutti i benefizii, che hauesse, e reso inhabile à poterne ottener piu per l'auuenire; E sia sospeso dall'esercizio de gli ordini suoi anco doppo che haurà fatta l'intera restituzione, & ottenuta l'assoluzione, per quanto tempo piacerà al suo Ordinario.

Nec item Parochi, & Concionatores referre grauentur, quæ superioribus Decretis, pro executione piarum voluntatum, & pro scripturis quibuscunq; habendis, ad Ecclesias, piasq; causas pertinentibus, sub excommunicationis pœna sanciuimus: ne quis ignorantiæ causa possit amplius excusari, quo minus prædictis obediat, vt tenetur.

Verùm ne in posterum Ecclesiarũ bona, tàm mobilia, quàm immobilia, earumq; iura tàm facile, vt ad huc factitatum comperimus, indebitè occupentur, aut eorum memoria pereat: Pręcipimus, vt Clerici omnes, & singuli quęuis beneficia Ecclesiastica obtinentes, & quoruncunque piorum locorum gubernatores, seu administratores, sex mẽsium spacio post harum Synodalium Constitutionum promulgationem, diligenti perquisitione præmissa, eorundem bonorum, siue libera, siue Emphyteotica, siue liuellaria, aut alio quouis iure mancipata sint, Inuentarium publici Notarii manu descriptum, coràm tribus saltem

fide dignis, ac peritis Teſtibus, & qui de bonis prædictis notionem habeant, de qua etiam mentio fiat in ipſo Inuentario, ritè conficiendum curent; expoſitis in eo ipſorum bonorum ſitu, menſura, finibus, qualitatibus, omnibuſq; conditionibus diſtinctè, ſigillatimue.

Referantur quoque in idem Inuentarium eorum omnium nomina, qui Eccleſiæ perpetuò aliquid debeant, facta mentione prædiorum, vel ædium, atque onerum quoruncunq; huiuſmodi bonis aſſignatorum; Omnia item alia iura, actiones, annui cenſus, Canones, ſiue redditus, debitorm nomina, & alia quę cunque ad ipſorum Eccleſias, vel loca eorum adminiſtrationi commiſſa, quomodolibet pertinentia.

Huiuſmodi autem Inuentariorum exempla duo per ipſum Notarium conficiantur; quorum vnū ad Epiſcopalem Curiā in Archiuio perpetuò aſſeruandum mittant beneficiorum Rectores, Piorumq; locorum Adminiſtratores: Alterum verò penes ſe fideli cura retineant; Quicunq; verò in hoc exequendo vel negligens, vel parùm fidelis fuerit, arbitrio noſtro mulctabitur.

Vtq; facilius ipſorum bonorum, Iuriumue memoria conſeruetur, mandamus, vt Clerici ii, qui de cętero beneficia quæuis Eccleſiaſtica, tam Apoſtolica, quàm Ordinaria authoritate obtinebunt, triū menſium ſpacio, poſt adeptam per eos poſſeſſionem pacificam, ſi aliud ſimile Inuentarium cōficere nolint; confecto iam, & fines, ſi aliqui mutati, ſeu renouati ſint, & ſi quæ alia bona, & iura fuerint ipſis beneficiis acquiſita, adiicere omnino curent.

Et quoniam ſæpè contingit, vt Eccleſia Rectore deſti-

destituta, heredum, aut aliorum fraudibus, vel incuria plurimùm detrimenti vſque adeò capiat, vt multa ad Eccleſiam ſpectantia, ſacro etiam vſui addicta, (nulla habita ratione excommunicationis, cuius abſolutio ad ſolum Summum Pontificem ſpectat) ſacrilegè ſurripiantur; Iubemus, vt Parochus vicinior Eccleſiæ ægrotantis Parochi, eius percepta, & cognita ingraueſcente ægritudine, loci conſule, & aliquot viris probis vocatis, Inuentarium Eccleſiaſticarum, ſacrarumq; rerum coràm illis, præſentibus etiã ægrotantis Presbiteri propinquis (ſi adſint) cõficiat; Relatis in idem Inuentarium aliis etiam rebus quibuſcunque iuxta Bullam Pii Quinti de ſpoliis, in ipſa Eccleſia ſucceſſoris; Videlicet, omnia, & ſingula ornamenta, Paramenta, Vaſa, necnon Miſſalia, Gradualia, Cantus firmi, & Muſicę, aliiq; quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res ſacræ, etiam auri, & argenti, & alia quæcunque bona, & res ad vſum, & cultum Diuinum ſpectantia, & deſtinata; Scanna item, Cathedræ, Arcę etiam ligneæ, vel lapideæ, etiam Marmoreæ, Menſæ, & Tabulæ, ac quæcumque dolia, & Vaſa Vinalia, & alia ſimilia ſuppellectilia ad Eccleſiã ſpectantia.

Incip. Roman. Pontificis edi. 3. cal. Sep. 1567.

Si autem eius mors deinde ſequatur; Idẽ vicinior Parochus bona ad Eccleſiã, & ſucceſſorem pertinentia penes aliquẽ in ea vicinitate, fide, & facultatibus idoneũ ex confecto Inuentario deponat: Ita tamen (ſi depoſitarius fuerit laicus) vt res ſacræ ab eo tractari minimè poſſint; ſed tuto in loco apud Eccleſiã, vel Eccleſiaſticũ virũ cuſtodiãtur, donec, vel Vicario deputãdo, vel futuro Rectori eadẽ tradi mandatum fuerit; Quibus pariter cũ Inuentario sẽper tradãtur.

De Laicorum Sodalitatibus. Cap. XXXVIII.

QVAE superiùs de funeribus,& aliis supplicationibus, de Piis locis, eorumq; bonis, & Iuribus tuendis; quæ de Ecclesiis,earumq; cultu,& reuerentia generaliter decreuimus, laycis quoq; Societatum fratribus, earumq; Ecclesiis, & bonis videntur vsque adeò accommodata, vt pauca, & propria solùm, hoc loco tractare necesse sit.

Quæcunq; laycorum Sodalitates Religionis caussa deinceps initium sumpserint, eæ non sine scripta Sedis Apostolicę,aut Ordinarii authoritate instituātur; neque certum proprii instituti amictum absque eadem facultate sibi assumant.

Visitationi,& correctioni Ordinarii ita subsint, vt non, nisi acceptas ab ipso Constitutiones, & Regulas habere liceat; vel nisi ab eodem probatas, &, si opus fuerit,emendatas; Quas tunc sedulò,sanctéq;, vt decet, obseruari mandamus.

Nullas audeant recitare preces, quæ non sint Ecclesiæ vsu probatæ,aut à nobis (si necesse erit) omni labe purgatę.

Quin eorum potius sit institutum,vt ad Officium B. M. Virginis à Pio Quinto instauratum, singulis Dominicis, Festisq; diebus recitandum,conueniant.

Insuitatas supplicationes sine Ordinarii scripta licentia ne instituant; Nec institutas noctu peragāt; Quando autem nocturno tempore permittendę videbuntur,Mulieres ne ad eas cōueniant, nec eorum Ecclesias, aut Oratoria ingredi permittantur.

Nec à prędictis, Festis diebus pro Defunctis Mis-

sę

ſę ſacrum, aut officium ibi fiat; ſed tantum poſt Veſperas, ſi dies ſequatur ferialis, officia ex Eccleſiæ ritu celebrare licebit.

In Oratoriis laycorum nullæ vnquàm habeantur de fidei dogmatibus diſputationes, aut colloquia; cùm ad eos non ſpectet ſcripturarum fragmenta colligere; ſed iis piè aſſentiri, quæ S. M. Eccleſia edocet.

Nulla ibidem, feſtis præſertim diebus, negocia temporalia, & profana peragantur; ſed ſpiritualia, &, quæ ſacro conueniant loco, tractentur.

Nunquàm verò ferendæ ſunt in Oratoriis commeſſationes, & compotationes; neque alibi ſocietatis ſumptibus; quos ſi quiſpiam ſuppeditare hac de cauſa auſus fuerit, ad reſtitutionē dupli eius, quod erogauerit, ipſi ſocietati teneatur; Et quicunque in Oratoriis, etiam pietatis ſpecie, comederint, & biberint, ab eorundem ingreſſu ſint arbitrio noſtro ipſo facto, interdicti.

Ne publicas de Matrimoniis, aliiſq; de rebus enunciationes, aut reliqua, quæ eos ediſcere à proprio Parocho oporteat, ſodales contingat ignorare; Iubemus, ne feſtis diebus, quo tempore in propria Parochia, aut Cathedrali Miſſa conuentualis, aut Parochialis celebratur, ſiue Conciones habentur, ſeu Doctrinæ Chiſtianę opera datur, ipſi fratres in Oratoriis Congregationes habeant, aut officia recitent: Sed ante, vel poſt ab iis ſe ſtudeant expedire.

Societatis Præfectus, & reliqui ſodales præcipuā dent operam, ne quiuis eorum numero adſcribatur, qui fidei rudimenta ignoret; vel ea ſaltem non addiſcat; Qui ue ſit publico aliquo facinore, ſcelere, aut infamia notatus: Quòd ſi notorius peccator pernicioſus,

ciosus,aut seditiosus sit admissus,aut postea talis eua serit, nisi ter monitus, se emendauerit; ab albo, seu Tabella, in quam singula fratrum nomina sunt relata, deleat, & a Societate, ne cęteris offensionem præbeat, protinus eiiciatur.

Caueant autem, ne pro arbitrio, aut praua animi passione bonos fratres sub falso transgressionis prætextu iniustè expellant, eorumue nomina abradant; Quandoquidem tum id omne inane,& irritum à nobis decernetur, tum eius authores grauiter arbitrio nostro punientur.

In eam præterea curam diligentissimè incumbat Sodalitatis Præfectus, vt, qui recōciliandis fratribus, aut ægrotis visitandis,aut aliis pietatis, & caritatis officiis præstandis cōstituantur, suum fideliter munus perficiant. Et quarum Societatum fuerit institutum associandi sacratissimum Viaticū, opportunè, cū res ferat,tàm piæ functioni studeāt quàm plures adesse.

Maximè decet Sodales frequentissimos esse in Pęnitentiæ, & Eucharistię Sacramentorum susceptione; Hanc autem nullo modo prætermittant in Die Resurrectionis Domini,in Pētecoste,in festo Assumptionis Gloriosæ Virginis,in Die Natiuitatis Dominicæ,& in festo Sācti, vel Sāctæ,sub cuius patrocinio societas est erecta;Verùm sint etiā tum frequētiores, si ex ipsorum Constitutionibus ad id teneantur.

Cùm ab Oratoriis procul omnino esse debeant contentiones, quæ ex potiore loco in processionibus obtinendo, non sine sanctæ functionis iniuria oriri quandoq; solent inter ipsas Sodalitates, digniorem ei decernimus locum, quæ prius proprio amictu supplicationes obire consueuit.

De

De quæſtoribus Eleemoſynariis. Cap. XXXIX.

QVAESTORES Eleemoſynarii Hoſpitaliũ, Sodalitatum, & quorumlibet piorũ locorum, & operum nomine, eligantur notæ probitatis homines, qui nullo, vel recitandę cuiuſuis orationis prætextu, nulla ſimulatione, aut ſpecie ſanctitatis eleemoſynas extorqueãt; Verùm modeſtè, piè, ac deuotè pro Eccleſiarũ, piarumue cauſarũ ſubſidio petãt.

Liceat nulli Eleemoſynas alieno quouis nomine quęritare, etiam ſi ſint, vel ſe ipſos prædicent Quæſtores eſſe Sancti Antonii Viennenſis, niſi prius ab Ordinario, ſcriptam licentiam obtineant, ſingulis quibuſq; annis renouandam; vel niſi Apoſtolicarum litterarum, ſi eiuſmodi authoritate nitantur, approbationem habeant.

Nec verò (obtenta Epiſcopi licentia, aut approbatione) vllo adhuc pacto permittantur aliqui eleemoſynas colligere; Si (quod Deus auertat) cum fidelium offenſione, aut flagitioſè vixerint; Si benedixerint, aut obſignauerint animalia; Aut ad id agendum inſtrumenta habuerint: Si imprecationes, aut pręſtigia fecerint; Si Indulgentias, aut alias ſpirituales gratias publicauerint; Si per ſe, vel per alium prędicare præſumpſerint; Si Reliquias Sanctorum, aut Imagines, ſeu benedicta, Acus, aliaq; eiuſmodi munuſcula geſtauerint; quibus, ſeu aliis malis artibus ſimplicium fidelium animos alliciant ad Eleemoſynas ſibi impartiendas.

Perquiratur præterea, an in Tabernis, aliiſue locis minus honeſtis ita diſſolutè immorentur, vt ludo,

crapula,

crapula, & scortis ea profundant, quæ eleemosynæ nomine in pios conferenda vsus conquisierint.

Conc. Tr. sessione 5. c. 2. in fine. de ref. & sess. 21. cap. 9. de ref. gen.

In omnes tandem pseudo quæstores à Sacris Conciliis damnatos, quiq;, contra, quàm præsentibus Decretis sancitur, quicquam facere, aut petere præsumpserint, Vicarii præcipuè Foranei, cæteriq; item Parochi insurgant; Eosdem rebus omnibus, quas collegerint, spolient; Nec non, si delicti grauitas id requirat, in carceres coniiciant; vel de comparendo coràm nobis idoneam accipiant cautionem; Vt ipsorũ causa cognita, pœnas pro modo culpæ debitas, ab iis repetentes, eorundem cõprimamus malitiam, & prauos penitus eliminemus, ac excludamus abusus.

In quibus Viri, locaq; Regularia Episcopali subiaceant Iurisdictioni. Cap. X L.

CVM latere possit neminem quantum ex Monasteriis piè institutis, & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris, atq; vtilitatis oriatur: hinc Nos, qua parte Concilium Tridentinum Viros, & loca Regularia Episcoporũ authoritati subesse voluerunt, hoc loco subiungere operepreciū duximus; dimissa eorũdem superioribus ceterorum cura, quæ ad perfectam Regularis vitæ disciplinam tuendam pertinere posse videantur.

Conc. Tr. Sessio. 25. cap. 16. de regul.

Primùm igitur. Nulla Regularium renunciatio, aut obligatio etiam iurata, vel in fauorem piæ causæ valet, aut valebit, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarii fiat infra duos menses proximè professionem præcedentes; Nec aliàs, nisi professione secuta, suum intelligatur effectum sortiri.

Sed

Sed neque antè professionem quocunq; prætextu à parentibus, propinquis, aut Curatoribus Nouitii, quo tempore in probatione est, quicquam Monasterio (excepto victu, & vestitu) ex eiusdem bonis dari licet: sub pœna anathematis à Sancta Tridentina Synodo, tàm in dantes, quàm in recipientes, sancita. Et vt abeuntibus ante professionem integrè, quę sua erant, restituantur, Monasteria ipsa, etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, sunt ab Episcopo compellenda.

Eisdē sess. & cap.

Quicunque Regularis se per vim, & metum ingressum esse Religionem, & ante debitā ætatem professionem emisisse, aut quid simile prætendens, quauis de causa habitum dimittere, aut cum habitu sine licentia suorum superiorum discedere velit, Non nisi intra quinquennium à die professionis est audiendus; Nec tunc aliter, nisi quas pręttenderit causas, coràm superiore suo, & Ordinario deduxerit.

Conc. Tr. ead. sessio. cap. 19.

Si quis Regularium etiam Superiores suos adeundi prætextu, à suis conuentibus sine mandato in scriptis antea obtento, recessisse comperietur, tanquàm desertor sui instituti potest ab Ordinario puniri.

Contra eos pariter, qui, studiorum causa ad vniuersitates missi, extra conuentus suos habitauerint, potest ab Ordinario procedi.

Conc. Tr. ead. sessio. cap. 4. Est cōst. Sixti V. incip. Cū de omnib. ędit. cal. Decēbr. 1587. Et est declaratio ed. 12. cal. Nouēbris 1588. inc. ad Romanos.

Regularis etiam non subditus Episcopo, & intra Monasterii septa degens si extra illa ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit; nisi, Episcopo instāte, à suo superiore intra tēpus ab eodem Episcopo præfigendū, seuerè puniatur, ac de punitione Episcopus certior fiat; tùm ipse superior est officio priuandus, tum delinquens pęna debita ab Episcopo afficiēdus.

Conc. Tr. ead. sessio. & cap.

Qui autem extra Monasterium degens deliquerit, etiam sui Ordinis priuilegii prætextu tutus non censebitur, quò minus ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica Delegato, iuxta Canonicas Sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeat.

Conc. Tr. sessione 6. c.3 de ref. gen.

Beneficia Curata Monasteriis, aut aliis Regularium Ecclesiis perpetuò vnita, possunt ab Ordinario Visitari; Et ab eodem prouideri, vt animarũ Cura ibi dẽ laudabiliter exerceatur; vel per Vicariũ perpetuũ si ita expedire iudicauerit; vel per eiusdem Ordinis Religiosum, ab ipsomet Ordinario, præuio examine approbandum; dum tamen eidem residenti socius eiusdem Regulæ professus assiduè adhęreat.

Conc. Tr. Session 6. c.7. de ref. gen.

Prædictarum Ecclesiarum vniones, quas in posterum prohibet fieri Sancta Synodus, Episcopi est reuidere, & examinare.

Conc. Tr. sessio. 24. c.13. de re for. gener.

In ipsis autem Monasteriis, quibus imminet animarũ cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorũ familia, personæ tam Regulares, quàm seculares, huiusmodi curam exercentes, in iis, quę ad dictam curã, & Sacramentorum administrationem pertinent, Episcopo immediatè subsunt; ita vt nemo, vel ad nutum amouibilis eiusmodi curationi sit præficiendus, nisi, præuio examine, ab eodem fuerit approbatus.

Sessio. 25. cap. 11. de regul. Est etiã Cõst. Pij V. inc ad exequẽ dum ędit. cal. Nouẽbr. 1567.

Et licet Concilium Tridentinum ea Monasteria, in quibus Abbates generales, aut Capita ordinum sedem ordinariã principalem habent, ab Ordinarii Iurisdictione excipiat: Nihilominus tamen Episcopis maiorem in prædicta loca, & personis iurisdictionẽ exercentibus, integrã, ac saluam esse voluit. Quemad modũ ex concordia inter Episcopum Arretinum, &

Eisdem sess. & c.

Mo-

Monacos Camaldulenſes olim inita, & Apoſtolica Honorii Tertii authoritate confirmatę, ipſe Epiſcopus in ſacra Heremo Camaldulenſi,& Cœnobio pręcipua obtinet iura, quibus pro libito, tum in loca, tum in perſonas vtatur.

In illis verò Monaſteriis, in quibus Regularis obſeruantia viget, prouidet Epiſcopus paternis admonitionibus, vt ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitã omnes inſtituãt,& componant; Et vbi debitam viuendi normã omiſerint, eorum ſuperiores admonet, vt Regulæ intermiſſæ recipiant inſtitutum; Quòd ſi admoniti,intra ſex menſes eos nõ viſitauerint,tũ Epiſcopus,etiã vt Sedis Apoſtolicæ delegatus,eos viſitare põt, iuxta Ordinũ ſuorũ inſtituta. Seſſ.21.c. 8. de ref. gen.

Monaſteria nulla de cętero erigi poſſunt ſine Epi, in cuius Diœceſi erigenda sũt, licentia,prius obtẽta. Seſſio.25. c.3. de regul.

Regulares cuiuſcunq; Ordinis, ſi quando in ſuorum Ordinum Eccleſiis Concionem de ſuorũ ſuperiorum licentia habituri erunt, id non prius aggredi debent, quàm coràm Ordinario pręſentati, eiuſdem benedictionem obtinuerint; In aliis verò Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nulla ratione prædicationis initium faciant, niſi, præter ſuorum Superiorum licentiam, Ordinarii etiam ſcripto expreſſa licentia,quæ gratis concedetur, accedat. Seſſio.5.c. 2. de ref.

At ſi (quod abſit) prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit, etiam ſi in ſui, vel alterius Ordinis Monaſterio prædicet, Epiſcopus ei pręḋicationem interdicere poterit, & debebit; Quòd ſi Hæreſes prædicauerit, contra eum ſecundum Iuris diſpoſitionem, & loci conſuetudinem, erit ab Ordinario procedendum. Eiſdẽ ſeſſ. & cap.

Censuras; & Interdicta non solum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo Regulares in suis Ecclesiis publicare tenentur; Dies item festos, quos in Diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, pariter colere, ac seruare debent.

Sessio. 25. de reg. c. 12.

Regulares, & Monachi ad publicas supplicationes vocati, si accedere recusent, ab Episcopo compelli possunt; & ab eodem controuersiæ omnes de præcedentia, quæ tã in processionibus, quàm in exequiis oriuntur, sunt componendæ.

Ead. sess. cap. 13.

Ad Episcopum quoque spectat curare, vt in Conuentibus Regularium, atq; etiam in Monasteriis Monachorũ, vbi cõmode fieri possit, lectio sacrę scripturæ habeatur; In quo si superiores negligẽtes fuerint, Episcopus oportunis ad id remediis cogere potest.

d. Sess. 5. cap. 1.

Postremo nunquam se debent cuiusuis Ordinis Regulares ad audiendas Confessiones seculariũ, etiã Sacerdotum, idoneos reputare, nisi, præuio examine, approbationem (quæ gratis concedetur) ab Ordinario prius obtineant; Tuncq; nisi mortis periculum instet, in aliena Parochia quorumcunque pœnitentiũ cõfessiones nõ audiant, si id vel Episcopus, vel proprius Parochus nõ concesserit; Alioquin, eo ipso ab audiendis cõfessionibus suspensi censeantur.

Sessio. 23. cap. 15. de ref. gen.

Si Extremæ Vnctionis Sacramentum ministrare, aut sacram Eucharistiã in Die Paschatis laicis dispensare, etiam si eorum Monasteriis inseruiant, (dum tamen iis addicti nõ sint) aut Matrimonia solennizare præsumpserint, non habita super his Episcopi, aut Parochialis Pręsbiteri licentia speciali; Excommunicationi, Sedi Apostolicę reseruatæ, sententiam se incur-

Clem. 1. de priuil. & excessib. priuil.

currisse nouerint; & per Episcopum, postquam hoc ei constiterit, publicè esse denunciandos.

Vbi in suis Ecclesiis aliquem nõ deputent, qui pauperes mendicantes, seu eleemosynas petentes per eas tempore Missarum, Prædicationum, aliorumq; diuinorum Officiorum ire non sinant, grauissimè ab Episcopo ex Pii Quinti Constitutione corripiuntur. Inc. Cum primũ ed. Cal. Apr. 1566.

In Sabato maioris Hebdomadæ, si campanas ante Ecclesiam Cathedralem in Ciuitate; & Parochiales, seu Matrices in Diœcesi, pulsent, ex Concilii Lateranensis vltimi lege, centum ducatorum pœna mulctantur. Sessio. 21.

Quicunque qui Parochialium Ecclesiarũ, aut aliarum secularium, etiam annexarum ratione, aut aliàs Synodo interesse debent, ad eam non accedit, ab Episcopo punietur. Sess. 24. c. 2. de ref. gen.

De Censibus. Cap. XLI.

CVM summopere exoptemus, vt Censuum, seu annuorum reddituum Contractus ad salutiferæ Pii V. Constitutionis pręscriptum ad vnguem de cętero creentur, & cõstituantur in Ciuitate, & Diœcesi nostra Arretina, quod secus aliquando factum fuisse non ignoramus; Idcirco cõditiones illas, quæ in ipsis Censibus creandis, & constituendis ex pręd:cta constitutione requiruntur, post hæc Synodalia Decreta vulgari lingua inserendas censuimus; Vt quilibet facilius noscant, quę sibi seruanda sint, & quę vitanda, vt se, & innoxios seruent, & tum æternam, tum temporalem aliasue pœnas contra huius constitutionis transgressores editas, vitent. Inc. Cum onus ędit. 14 cal. Febr. 1568.

Et cùm

Et cùm per ipſam Conſtitutionem ſancitum non ſit, quę pecuniæ quãtitas pro quolibet numerati precii centenario cenſuum, & annuorũ reddituum nomine ſoluenda ſit; &, ſi vltrà ſex, ſeu ſeptem ad ſummum pro quolibet centenario ab ipſorũ cenſuũ, emptoribus exigantur, immodicum quodammodo videatur; Hoc Synodali Decreto ſancimus, vt de cętero in conſtitutione, ſeu creatione cenſuum, quantitas, ſeu ſumma ſeptem pro quolibet numerati precii centenario quotannis à cenſuum venditoribus ſoluendorum nequaquàm excedat; Alioquin contractus feneratitii, & vſurarii cenſeantur; Et tàm contrahentes, quàm Tabelliones inſtrumenta conficientes, & proxenetæ, & mediatores pœnas à Iure, & à prædicta Pii V. Conſtitutione, contra feneratitios contractus celebrantes impoſitas, eo ipſo incurrant.

Vtq; tàm Sanctio hęc, quàm conditiones illę omnibus innoteſcant, Parochi poſt harum conſtitutionum promulgationem, quàm primùm eis licebit, & deinde bis ſingulis annis aliquo die feſto, ea inter Miſſarum ſolennia de ſcripto populo euulgent.

Vide [illegible]

De Vicariis Foraneis. *Cap. XLII.*

CVM ob Diœceſis amplitudinem, difficile admodum eſſe ſemper duxerimus, omnia, ad ſalutem præſertim externi gregis nobis commiſſi, & ad Eccleſiarum externarum decorem ſpectãtia, curare, ac videre poſſe; Ac propterea xii. probatos Sacerdotes delegerimus (Vicarios Foraneos nuncupatos) qui certis Diœceſis regionibus ſibi à nobis aſſignatis, & Sacerdotibus, Clericis, aliiſq; perſonis Eccleſiaſti-

cis,

cis, nec non Ecclesiis, Oratoriis, locisq; piis vniuersis intra fines dd. regionũ existentibus (dũmodo Nobis subiectis) præessent iuxta ea quę in schedula quadam, pro eorum instructione tunc publicata, continentur; Cumq; multa ex iis constitutionibus nostris Synodalibus complexa, quædam addita, & alia ad meliorem formam redacta fuerint, vt necesse videatur quasi aliis quodammodo Decretis, legibusq; Iurisdictionem, & auctoritatem in personas, & loca prædicta declarare; Propterea illam instructionem abrogantes eosdemq; Vicarios confirmantes, hæc prescribenda duximus.

In Congregationibus Parochorum regionis sibi per Episcopum commissæ, quas semel, &, alicubi, bis singulis mensibus habendas esse edicto nostro vulgari sermone exposito, & in fine harũm constitutionũ adiecto decreuimus, Vicarii Foranei prędicti semper intersint, & præsideant, eaq; omnia, quæ in edicto ipso præscribuntur, seruari diligenter, & integrè curent, & ipsi seruent.

Quolibet anno semel saltem Ecclesias, locaue pia sui Vicariatus, inuisant, ex improuiso tamen, ab vno Notario, vnoq; famulo ad summũ associati; Curentq; singularum Ecclesiarum, locorumue piorum visitationem dictam quamprimùm perficere, vt eò minus onerosi sint visitatis. Eorum præcipuè munus erit, tam in visitationibus, quàm extra, perspicere, an Decreta, tum Visitationis Apostolicæ, tum ordinariæ, aliaq; omnia, quæ ad animarum salutem, curam, & regimen, & ad cultum, ac disciplinam, tum cleri, tum populi conseruandam, & augendam spectant, impleantur.

Et

Et pariter an re ipsa ea prçstentur, quç Episcopus, seu eius generalis Vicarius, aliiue eorum nomine in Ecclesiarũ necessitatem, earumue reparationem impendi iusserint. Explorent insuper, an Parochorum culpa, vel negligentia diuinus cultus negligatur, aut minuatur. De Parochorum, aliorumue, tum Sacerdotum, tum cuiuscunque ordinis Clericorum, eorũ Iurisdictioni subiectorum vita, & moribus quçrant; & quales se in pastorali cura, & Ecclesiastica disciplina præbeant. An libros quilibet Parochus, Sacerdos, & Clericus habeat, quos Synodali Constitutione quemlibet habere sancitur. Perscrutentur etiam an reliqua in hisce cõstitutionibus, edictisue nostris Decreta, & sancita ab eis, quorum interest, siue clerici, siue laici sint, seruentur. Quòd si aliquid contra prçdicta commissum esse repererint, quod Episcopi cognitionem desiderare arbitrentur, ipsum per literas diligenter certiorem protinus faciant.

Quoties in vrbem venerint, primùm Episcopum, seu eius Vicarium generalem adeant, deq; eorum statu, qui suæ curæ, & solicitudini commissi sunt, plenè, & accuratè doceant.

Si Episcopus, vel generalis Vicarius processum aliquem eis, seruata forma iuris, cognoscendũ, vel agendum mandauerit, munus sibi cõmissum fideliter impleant; Vbi verò, vel inter personas Ecclesiasticas vel inter hominẽ laicũ, & ecclesiasticũ rixa, seu iurgiũ, aut quid simile occurrerit, vel delictũ aliquod commissum fuisse quouis modo cognouerint, quàm primùm inquirant, & Informationes, vt dicitur, sumãt, easq; curiæ Episcopali transmittant; Notario, cuius opera vtentur, cõpetens vtique merces persoluetur.

Quòd

Quòd si eorum culpa, vel negligentia, nulla, vel minus diligens facta fuerit inquisitio, vel saltem ab eis Curia commonefacta nõ fuerit; iisdem ipsos pœnis, quę in huiusmodi delinquentes statutę fuerant, subiacere declaramus.

Ad eos spectet à Confessoribus quærere, quo nã pacto munus illud exerceant, & eos, qui vel beneficium parochiale nõ obtinuisse, vel ab Episcopo, seu Vicario generali, præuio examine scripto, approbatos non fuisse repererint, ab audiendis confessionibus quorumcunque prohibere.

Cumq; hisce nostris Synodalibus constitutionibus sanciuerimus, ne ignotis, vagisq; Sacerdotibus in Ecclesiis, & Regularium nostræ Diœcesis Missam celebrare permittatur, absque nostra, seu Vicarii nostri generalis, aut illorum, qui per Diœcesim ad hoc munus constituentur scripta licentia, ad Vicarios ipsos per Diœcesim facultatem prædictam concedere spectare, declaramus; iis tamen seruatis, quæ ipsis constitutionibus mandantur. Tit. de Missę celeb. c. Ignoti, & vagi.

Habeant singuli librum, in quo describant seriatim beneficia omnia tum curata, tum simplicia, Oratoria, Hospitalia, Confraternitates, aliaue loca pia intra fines sui Vicariatus existentia, à quo tunc obtineantur, an libera sint, & ad Ordinarii vel alterius, & cuius collationem, seu dispositionem, an verò de iure patronatus, & an ius illud sit Ecclesiasticum, laicale, vel mixtum, & quorum sit.

In eodemmet libro adnotare nõ prętermittant, cuius redditus sit vnumquodque beneficium, & locus pius, quę onera cuilibet eorum imposita sint, quæue laudabiles vigeant consuetudines. Computa, ac ra-

tiones redditium, ac prouentuum quorumcunque ad Societates, & Confraternitates, tam sacerdotum, quam disciplinatorũ laicorum spectátia, sibi quotannis exiberi, ac debita illis exigi; & quod necessariis deductis expensis, superesse compererint, id omne certo in loco seruari, certoq; in libro fideliter notari mandent, & curent. Denique ea omnia exequi ac impleri, quę his nostris constitutionibus eis demandantur. Curati vero quicunque, aliiue tum Clerici, tum laici, qua vis dignitate fulgeant, in iis, quę ad eiusmodi Vicariorum officium spectant, & attinent, illis sine vlla recusatione obtemperent, & obsequantur. Quòd si aliqui ad eorum Vicariorum mandata exequenda minus obedientes, aut contumaces fuerint, sciant Episcopum in illos pro modo culpæ animaduersurum esse.

Si quis vnquam ab iis, quæ à Vicariis foraneis mã-data, sancita, aut gesta quoquo modo fuerint, duxerit appellandum, seu recursum habendum ad Episcopum appellet, & recursum habeat.

Hi autem Vicarii non perpetui, sed ad Episcopi nutum amouibiles sint, Vicarioq; generali subiecti, qui si male se gesserint in sui officii administratione, pœnas Ordinarii arbitrio dabunt.

De iis, quæ generaliter ad has Constitutiones Synodales pertinent. Cap. XLIII.

CVM ea, quæ hactenus in hisce constitutionibus (Deo adspirante) decreta sunt, ad duo potissimum genera referantur, quorum alterum ad ipsosmet animarum Pastores, eorumq; mores componendos

nendos pertinet; Alterum verò ad populi eorum fidei, curęq; concrediti instructionem, informationemq; spectat: Propterea postrema hac libelli parte nobis visum est faciendum, vt illis in memoriam redigeremus; Vt quæ superius de Sacramentorum administratione, De Sancta Verbi Dei prædicatione, De Residentia, & statione in Beneficiis peragenda, Deq; Vitę, morumq; integritate (qua cęteris pręlucere debent) colenda, sancita sunt; ipsi summa animi, corporisq; contentione seruare, præstareq; studeant; Et ea, quæ de Religionis, fidei, pietatisq; studio in hominum animos inserendo, De abusibus tollendis, De Hęreticis vitandis, De tradendis Christianæ Doctrinæ initiis, & præsertim de ratione rudioris populi imbuendi, vt quatuor illa pręcipua capita, Orationem videlicet Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum tenere, recteq; pronunciare omnes ediscant, in quibus vniuersę animarum salutis, ad quam præsentes Constitutiones diriguntur, vis, & ratio continetur, & ipsi omnia seruent, & vt ab vnoquoque pro sua virili parte seruentur, dent operam; Quod si (vt par est) præstiterint, sciant se satis cumulatè officio suo fecisse, & animarum saluti, ad quam veluti coadiutores nostri à Deo vocati sunt, quaque nihil prius, aut antiquius habemus, salutariter prospexisse.

Quoniam verò permulti reperiuntur, quos & si non lateat quid fugiendum, quidue sequendum sit, (si pœnę tamen timor absit) ad liberiorem peccandi licentiam, veluti Ianua patefacta, occasionem sibi relictam esse arbitrantur: Propterea statuimus, vt quicunque aduersus has Constitutiones, & Decreta

deliquerint, ſtatutis in his Decretis aſſiciantur pœnis, aliis nihilominus tum Iuris, tum Concilii Tridentini in ſuo robore permanſuris; Quòd ſi nominatim ſtatutæ pœnæ non ſint, arbitrio Epiſcopi pro modo culpæ, & contumaciç coerceantur.

Et ne leges ad peccata de medio tollenda ſancitæ peccandi potius materiam, ac ſegetem præbeant, Declaramus, vt, vbi Excommunicationis, Suſpenſionis, aut Interdicti pœna addita non eſt, peccati quoque mortiferi reatui nemo obnoxius ſit; Niſi id ipſum ex Diuina, vel Canonica lege ad peccati genus pertineat; aut de induſtria quicquam incontemptum harum conſtitutionum admittatur.

Si verò contingat, vt vlla vnquam in his noſtris conſtitutionibus difficultas ſuboriatur, totam rei interpretationem integram Ordinario reſeruari, ad eumq; deferri volumus, ſalua ſemper Apoſtolica Sedis authoritate.

Quamcunque autem facultatem in his Conſtitutionibus Epiſcopo reſeruatam eſſe declarauimus; eandem Vicario generali delatam, ac tributam eſſe edicimus; exceptiis iis, quç propriæ ad Epiſcopalem Ordinem pertinent; Et quç, vel à Sacris Canonibus, vel nouiſſimè à Concilio Tridentino Vicariis nominatim, & expreſsè interdicuntur.

Atque, vt omnes ſciant, quo tempore hiſce Decretis obligentur, vt ad ea ſeruanda alacriores ſint; Statuimus, & omnibus ſignificamus has noſtras Sanctiones ab ea die, qua Cathedralis Baſilicæ Valuis affigentur, poſt exactum menſem vim ſuam ita obtinere, vt qui aduerſus eas deliquerint, ipſo termino elapſo, pœnis iam ſupra appoſitis affici poſſint.

Quare

Quare ſingulis Ciuitatis, Diœceſiſq; Arretinę Clericis, vel ſacris initiatis, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum quomodocunque obtinentibus, præcipimus, Vt huiuſce libelli exemplum ſibi comparent, frequenterq; habeant præ manibus; Vt ad harum conſtitutionum normam actiones ſuas dirigant, mores componant, & Eccleſiaſtica munera (Deo dante) facilius obeant.

Poſtremò illud omnibus notum eſſe cupimus, nõ ea cogitatione has à nobis Conſtitutiones conditas eſſe, quòd putemus ita vniuerſa comprehendiſſe, quin plura, & meliora addi, tum ex his nonnulla fortè pro temporum ratione corrigi queant; Verùm has, quales ſunt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Iudicio, & authoritati humiliter ſubiicimus: Diuinoq; Numini conſecramus, cui vni omnis honor, & gloria ſit in ſecula ſeculorum.

Amen.





EDITTI,

EDITTI, E FORMVLE, CITATI
Di ſopra nelle Conſtituzioni.

Editto, e Prouiſione per l'oſſeruanza delle Feſte nella Città, e Dioceſi d'Arezzo, da ridurſi à memoria ogni anno da' Curati a' loro Parocchiani almeno vna volta nella Quareſima, & vn'altra nel meſe d'Agoſto in giorno feſtiuo intra Miſſarum ſolennia, &c.

PIETRO Vſimbardi per grazia di Dio, e della Sede Apoſtolica Veſcouo d'Arezzo. Conſiderato, quanto conuenga al Chriſtiano l'oſſeruanza, e ſantificazione delle Feſte, ſi per debito di culto, come per obbligo di precetto, & eſpreſſa dichiarazione de i ſacri Canoni, del Cōcilio di Trento, e per la Bolla della fel. mem. di Pio Quinto. Di quì è, che vedēdo Noi cō molto diſpiacere dell'animo noſtro, che per gli anni addietro in ciò la tacita diſsimulazione per la penuria, che a'tēpi nella Città, e Dioc. d'Arezzo, ha introdotti molti abuſi, e corruttele cō grāde offeſa di Dio, e detrimēto dell'anime; e volēdo per debito di noſtro Paſtoral Vfizio prouedere cō opportuni rimedij, che eſtirpati vengano ſimili abuſi, & il Culto Diuino aggrādito, & eſaltato; Con le preſenti notifichiamo, publichiamo, e comandiamo à ciaſcuna perſona di qual ſi voglia ſtato, grado, ò cōdizione ſi ſia, ancorche Ebrea, ò foreſtiera, che per l'auuenire ſotto colore alcuno nō ardiſca ne' ſottoſcritti giorni feſtiui tener bottega aperta, vendere, ò cōperare, lauorare etiā à bottega chiuſa, in caſa propria, ò d'altri, eccetto che ne caſi infraſcritti, carreggiare con beſtie, ne in ſomma ſia lecito in detti tēpi fare alcun'atto ſeruile, ne cō beſtie, ne ſenza, ſi nella Città, come nella Dioceſi, ſotto pena a' traſgreſſori (oltre al peccato mortale, che cōmetteranno) di lire dieci per la prima volta d'applicarſi per la metà al ſantiſsimo Sacramento della Cathedrale, ò altra Chieſa parrocchiale tāto della Città, come della Dioceſi à noſtro arbitrio, e per l'altra all'eſſecutore; Dando perciò piena autorità à tutti i publici miniſtri; E per la ſeconda

conda

conda volta ſotto pena del doppio, e d'altre pene ad arbitrio noſtro.

Eccettuando però da queſta prohibizione quelli Speziali, Pizzicagnoli, e Macellari, a' quali ſecondo gli ordini loro antichi toccherà tenere la bottega aperta; a' quali vogliamo ſia lecito tener bottega in detti giorni aperta à ſportello, e ciò doppo la Meſſa, e non prima; Et doue non ſiano tali ordini, concediamo, che vno di loro da mutarſi per ciaſcuna feſta nel medeſimo modo poſſa tener la bottega aperta, e vendere à minuto: Et il ſimile s'intenda cõceſſo à gli ortolani, fruttaiuoli, peſciaiuoli, & altri ſimili per l'abbondanza delle graſce neceſſarie al vitto continuo, e di coſe, le quali facilmente ſi corrompono; pur che ſempre ſi vẽdano nelle piazze publiche, e luoghi ſoliti; Et alli Vccellatori ancora, pur che nõ vendano in tempi Quadrageſimali nella Città ſenza licenza della Corte Epiſcopale, ò de Parocchiani de' luoghi nella Dioceſi: ma a' fornai non proibiamo vendere d'ogni tempo, & in ogni luogo, però ſempre à bottega aperta ſolo à ſportello.

Intendiamo ancora eccettuare dalle ſudette pene li Mulattieri di paſſaggio, & il Maniſcalco, che ꝑ neceſsità ferraſſe le beſtie loro, ò d'altro paſſeggiero di ſubita partita; E quelli parimente della Dioceſi, i quali eſſendo venuti alla Città, ò Terra alcuna della Dioceſi in giorno di lauoro, la feſta poi con beſtie ſcariche ancor che imbaſtate, ſe ne ritorneranno, pur che vdita la Meſſa: Dopo la qual Meſſa ſia ancora lecito alle perſone miſerabili ſomeggiare legne per vẽdere, e fare altre opere manuali neceſſarie per procacciarſi il vitto, con licenzia però noſtra, ò del noſtro Vicario generale nella Città, e fuori del loro Parrocchiano in iſcritto, aggrauando in ciò le coſcienze di eſsi Parrocchiani, i quali pagheranno le medeſime pene, ſe ad altri ſenza ſimili neceſsità la concederanno.

Contenendoci di piu, che le perſone miſerabili coſi maſchi, come femmine poſsino nelle caſe, e botteghe loro il giorno della feſta lauorare, dopo che haurãno vdita la Meſſa, pur che lo faccino à porte chiuſe, & in modo che nõ poſſino eſſer veduti per tor via lo ſcandolo, e con licenza de i

loro Cõfessori, la coscieza de quali in tutto, e p tutto aggrauiamo; altrimẽti s'intẽdino incorse nella suddetta pena.

